D. BENEDICTI ARETII BERNENSIS THEOLOGI LECTIONES SEptem de Cœna Domini ex variis Scripturæ locis ſumptæ,

QVOS SEQVENS INDIcabit Pagina.

QVICQVID AGAS

GENEVAE.
Excudebat Ioannes Le Preux.
M. D. LXXXXI

D. BENEDICTI ARETII BERNENSIS THEOLOGI EFFIGIES.

Aretium si nôsse velis, hîc aspice totum:
In scriptis animum, corpus in effigie.

ORDO ET NVMERVS
Lectionum de Cœna Domini tractantium, quæ hoc volumine comprehenduntur.

I. Lectio ſumitur ex decimoquarto capite Marci verſu duodecimo.

II. Lectio ſumitur ex vigeſimo ſecundo capite Lucæ verſu decimoquarto.

III. Lectio ſumitur ex decimotertio capite Ioannis verſu primo & cap. decimo quarto.

IIII. Lectio ſumitur ex vndecimo capite prioris ad Corinthios verſu vigeſimo tertio.

V. Lectio ſumitur ex vigeſimoquarto verſu eiuſdem capitis & Epiſtolæ.

VI. Lectio ſumitur ex vigeſimoſexto verſu eiuſdem capitis & Epiſtolæ.

VII. Lectio ſumitur ex toto loco ſuperiori capitis vndecimi prioris ad Corinthios.

D. BENEDICTI ARETII lectio prima de Cœna Domini, ex cap. XIIII. Marci.

Vers. 12. *Ac primo die azymorum, quando Paschah mactabant dicunt ei discipuli ipsius, vbi vis vt profecti paremus, vt edas Pascha?*

13. *Tunc mittit duos è discipulis suis, & dicit eis, Abite in vrbem, & occurret vobis quidam portans amphoram aquæ, sequimini eum.*

14. *Et quocunque introierit dicite patrifamilias, Magister dixit, vbi est diuersorium, vbi Pascha cum discipulis meis edam?*

15. *Tunc ipse vobis indicabit cœnaculum magnum stratum, paratum, illic parate nobis Paschah.*

16. *Abierunt igitur discipuli eius, venerúntque in ciuitatem, & inuenerunt omnia prout dixerat eis, & parauerunt Paschah.*

17. *Et cùm serum diei esset, venit cum duodecim.*

18. *Quúmque accubuissent & ederent, ait Iesus, Amen dico vobis, vnus ex vobis prodet me, qui edit mecum.*

19. *Ipsi verò cœperunt contristari & ei di-*

cere sigillatim. *Num ego?* & *alius Num ego?*

20. *Ipse autem respondens dixit eis, Vnus ex duodecim, qui manum intingit mecum in catinum, me prodet.*

22. *Filius quidem hominis abit prout scriptum est de eo: sed væ homini illi, per quem Filius hominis proditur: bonum erat homini illi si natus non fuisset.*

22. *Et edentibus ipsis, quum accipisset Iesus panem & benedixisset fregit: deditque eis, & ait, Accipite, edite, hoc est corpus meum.*

23 *Et accepto poculo, quum gratias egisset, dedit eis, & biberunt ex eo omnes.*

24. *Et dixit eis, Hoc est sanguis meus Noui illius Testamenti, qui pro multis effunditur.*

MVLTA sunt, quæ nos ad diligentem Scripturarũ lectionem excitant, est ipsa vocatio nostra, tempus circunstans, rei magnitudo & vtilitas, necessitas etiam, quæ nos ad lectionem non tam inuitat quàm compellit. Sunt illa magna fateor & quæ meritò nos hodie excitarent, nisi plumbei essemus, ad attentam & accuratam Scriptu-

ra

ræ S. lectionem: tamen de his quotidie propè personant auditoria nostra. quare & nos ista latêre non possunt, & nos in his immorari non operæpretium duxi. Sed istud mecum expendite, quid Apostolorum officium à nobis requirat? His Dominus mittens ait, vos eritis mihi horum testes. Matt. vlt. Act. 1. ipsi etiam testes se profitentur multis in locis. Porrò testium munus quomodo obibunt, nisi simus nos, qui audiamus, qui legamus?

Testium fides quidem est incorrupta, nam & visa & audita scribunt, de factis ac dictis filij Dei nos ad plenum instruũt. Par est igitur, vt nos hosce testes sæpiusculè consulamus, eóq; magis, quantò nobis res obscurior & intricatior redditur improborum hominum sermonibus. Quod cùm aliâs in toto fiat negotio religionis, tũ verò in primis in negotio Cœnæ, debemus ad hoc testimonium, quàm diligentissimè recurrere: sic enim discemus, quid hîc instituerit Christus, quid exhibeat, quo fine, quid nos iusserit facere. Minus etiã nos impediet hominũ φιλονίκων importunitas, qui improbis suis disputationibus & plusquã importuna φιλολογίᾳ negotiũ hoc magis implicãt, quàm explicant & dum illustrare volunt Cymeriis tenebris obscurius red-

dunt. Adde his præceptum Christi de lectione Scripturæ, quod extat Ioan. 5. ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. Itaque sic censeo nobis hodie faciendum, vt & fide testium incorrupta & religione præcipientis Christi dimissis partium dissertationibus, ex ipso fonte Sacrarum Scripturarum totum hoc negotium audiamus.

Cur ex Marco proponatur.

Cæterùm quòd locum Marci 14. attinet, cur hunc delegerim nulla peculiaris ratio est: nam & copiosè & diligenter singuli Euangelistæ negotium hoc explicarunt, parciùs tamen Ioannes. Post omnes tamen eleganter & bona fide hoc illustrauit Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 11. vt sanè in tanta luce & copia huius argumenti, non sit magnus delectus faciendus. Tamen cùm superiori anno idem negotium ex Matth. nobis proposuerimus: cum quē tum proponebamus ordinem sequentes, ex Marco iam res eadem est nobis proponenda.

Dominus Iesus Christus Filius det nobis Spiritum suum, vt seriò in hoc versemur argumento: ita vt explicatio nostra ad gloriā nominis sui faciat, veritati & testis Marci animo respondeat. Vos etiam pari fructu nos audiatis differentes, vt aliquando omnes Ecclesiæ suæ εὔχρηστα reddamur organa, Amen.

Euan-

Euangeliſta Marcus, Cœnæ Dominicæ inſtitutionem deſcripturus oſtendit, qua occaſione Chriſtus ſeruator legale iſtud Paſcha iuſſerit parari per diſcipulos vbi etiam, & quando paratum ſit ſtudiosè explicat. Hinc in Cœna iſta legali, quid dixerit Chriſtus quanta diligẽtia de proditore admonuerit diſcipulos: & ipſum Iudam ad pœnitentiam non obſcurè inuitarit. Hinc demum, quod inſtituti noſtri proprium eſt, Cœnæ Dominicæ deſcribit inſtitutionem. Argumẽtum.

Mens & ſcopus horum omnium videtur hic eſſe, Chriſtus moriturus, ſublato veteri Paſchate, nouum, ídque certis de cauſis inſtituit, quod ſuis relinqueret celebrandum. Πρότασις.

Ad hoc Marci inſtitutum omnis noſtra reſpiciet oratio, ac vt eius ordinem, quaſi Theſei filum diligentiùs obſeruemus, ad haſce tres metas reſpicite: primam, quæ ſit παράσκευὴ Cœnæ, Moſaici Agni Paſchalis: deinde quid in prima hac Cœnæ parte, quę legalis fuit dixerit Chriſtus ſeruator: tertiò, quomodo ſit noua inſtituta. Diuiſio.

In παρασκευῇ illa ſunt, qua occaſione miſerit Chriſtus ſuos ad Cœnæ præparationẽ: quos miſerit: quomodo item mittat: denique quis tam inſolitæ miſſionis fuerit cuẽ- Παρασκευὴ.

tus.de his ergò nobis agendum eſt ordine.

Occaſio his verbis deſcribitur, *Ac primo die azymorum, cùm Paſcha immolarent, dicunt illi diſcipuli ſui, vbi vis vt abeuntes paremus, vt edas Paſchah.*

Occaſio. Occaſio hîc duplex & cohærens obſeruanda eſt: nam diſcipuli admonent Dominum, & diſcipulos ipſum admonuit tẽpus.

Tempus Tempus certè occaſionem dedit diſcipulis, cur illa cum Chriſto loquerentur. Prima hæc dies azymorum, quæ fuerit, petendum eſt ex lege. Exod. 12. Leu. 23. Num. 28 nimirum 14. menſis Niſan, quo ad veſperam iuſſi fuerant ad rei memoriam Paſchah celebrare: nam eadem nocte ex Ægypto ſunt egreſſi.

Nobis ſi Mathematicis credimus fuit 24 Martij. Hinc dies iſti continui ſeptem, hoc eſt, à 14. menſis Niſan ad 21. diem eiuſdem, omnes azymi dicti ſunt: nam per hoſce dies infermentatis vtebantur panibus. Tamẽ malim τῆς ἀζύμων ad panes, non ad dies referre: τῆς ἀζύμων ſcilicet ἀρτῆς: ſic enim res intelligi melius poteſt, cur dicti ſint azymi dies. Sic Luc. 22. ἑωρτὴ τῆς ἀζύμων, ſcilicet ἀρτῆς. Feſtum ipſum etiam dicebatur ἄζυμα, poſt biduum: vbi ἄζυμα abſolutè capitur, vt Latinis feſtorum nomina, Saturnalia, Ionialia.

Ad

Ad huius vesperam celebrandum erat Paschah Iudæis: qua lege Mosis & consuetudine adducti discipuli, Christum adeunt, ac monent, vbi parendum sit.

Commendatur in discipulis diligentia, quę Christo non integra fuit, quod silentio suo approbat: alioquin non maturè admonitus, nō eadem tulit lenitate: Matri in Cana Galileæ admonēti, quòd deesset vinum, acerbius respondet, quid mihi tecum est mulier? Petrum etiam Satanam appellat, admonentem importunè, ne Hierosolymam ascenderet. Discipuli. Ioan. 2.

Cur verò à discipulis admoneri se passus est? vtique facturus etiam non admonitus, cùm desiderio desiderarit hoc Pascha cum eis edere, vt mox in mensa fatetur. Voluit Christus, vt homo, inter homines agere: & fieri potest iam sermones de Paschatis celebratione inter eos fuisse habitos, eorum memores discipuli, prętera die iam ad vesperam inclinante, Dominum admonent. Nam Iudæi non in vespera celebraturi erant Pascha, sed Patrū traditionibus in die sequenti: Christus verò secundum legem Mosis ipsa die prima, plena iam luna. Eam consuetudinē sine dubio discipuli fuissent etiam secuti, nisi à Domino instructi iam ptiùs de vero tempore Paschali. Occasio- Cur de Paschatis festo moneatur Christus à discipulis.

nes igitur cohærent, tempus ipsum instans plenilunij, Christus etiam instruens de vero tempore, & discipuli nunc sermonum Christi memores, offerunt operam suam ad præparationem Cœnæ.

Quos mittat ad parandũ Pascha.

Quos verò miserit, Marcus non exprimit, in genere inquit: quòd miserit δύο τῶν μαθητῶν, id Lucas 22. clariùs exprimit, Petrum & Ioannem hosce duos fuisse. Ac credibile fit, hos ipsos etiam fuisse qui Christũ admonuerint. Petrus sanè in omnibus prõptior videtur, Ioannes etiam Domino charior, & vterque singularibus etiam Christi factis semper adhibitus.

Quo mittat.

Mittit autem *eos in ciuitatẽ*, hoc est, Hierosolymam: nam illic negotium redẽptionis nostræ debuit in maximo cœtu populi perfici, vt & faciliùs propagaretur in multas nationes, & res fide non careret: adde quòd in eo festo illuc congregari debuit populus, cuius caput ipse Christus vt verus liberator ibidem præsens voluit esse. Porrò ad incerti nominis hospitem mittuntur, quod Matthæus quoque obseruat, qui habet πρὸς τὸν δεῖνα: & Hæbræum habet, *Peloni el ecad almoni.* Quis hic fuerit scire non expedit, hominem pium fuisse credi debet, & fortasse Apostolis incognitum. ad bonum igitur hospitẽ tanti conuiuæ diuertũt.

Quar-

Quarto loco expende quomodo mittat. Hactenus Christus, vt homo cum discipulis agit, & vt magister: nã admonitus duos misit, qui parent: ad certum locum certum etiam hospitem, quanquam nomen eis non expresserit iussit ire. Iam vt Deus viam eis monstrat: nam cum incerti nominis quærendus sit hospes, aut ductore viæ aut certis argumẽtis erat Apostolis opus, quibus deprehenderent, sese in diuertendo non errare. Quare Christus certissima illis proponit τεκμήρια, quibus obseruatis falli non possint. Primùm inquit, *occurret vobis homo ceramium aquæ portans.* Hominem illis in vrbe tam poculosa occurrere, & in parasceue tanti festi minimè erat mirum: sed baiulum aquæ, & ceramium ferre hoc nouum erat & infallibile diuinitatis argumentum. Quo modo, mittat.

Porrò ceramium mensura liquidorum fuit, & hinc etiam vas aqueum, vel aliorum humorum: idem appellarunt cadum, & metretem, Latinis ferme amphora est. Fuit enim duplex ceramium apud veteres in vsu, Italicum vnum & alterum Græcorum. Ceramium Italicum habet sextarios 48. quæ est amphoræ etiam capacitas Romanæ. Græcũ verò ceramium habet sextarios 72. eósque Græcos, qui quanquam sextariis Latinis aliquanto sint minores: tamen efficiũt Quid sit ceramiũ.

64. sextarios Romanos, & vncias sexdecim. Romanum ceramiũ, hoc est, amphora quæ habet 48. sextarios nostrates mensuras Bernates 16. adæquat. Græcorum verò xl. mensuram habebit, cum tertia mensuræ parte. Hic veras aquæ parandæ idoneum sic appellat, qualiscũque tandem fuerit capacitas.

Deinde addit *hunc sequamini*, nimirum in eandem domum, imperantis est hæc autoritas. Sequendus est homo ignotus, baiulus aquæ in domum ignotam.

Tertiò, *dicite Patrifamilias Magistertui, vbi est* κατάλυμα, *in quo Pesach cum discipulis meis edam?* Κατάλυμα vocat aulam, vel cœnaculum, in quo solent hospites excipi. Nomen à soluendis laboribus, & deponendis oneribus inuenit: καλαλύειν enim est soluere, viatores fessi de itinere curas & molestias cum farcinis deponunt in diuersoriis, hinc Germanis vox *Lukenn* videri potest desumpta. Hanc aulam Christus absens nouit.

Denique nouit Christus propositum hospitis, & verba, priusquam in linguam eius formarentur: *nam (inquit) ostendet vobis Triclinium magnum, paratum, stratum.* His verbis explicat priorem vocem κατάλυμα, & commendat aulam hanc à circunstantiis.

Aut-

Ἀνώγειον appellat, quod priùs καταλυμα dixerat: sunt autem ἀνώγεια mediæ ædium partes, ad quas gradibus ascenditur. Domus in tres partes primarias diuidi solet, ὑπόγεια sunt loca infima, quò pertinent subterranea, qualis est cella & similia, & quę ad primum ingressum sine scalis vel gradibus adiri possunt. Ανώγεια sunt partes mediæ, quæ sine gradibus vel scalis non possunt accedi, sic dictæ, quòd à terra sint remotiores, ἄνω τῆς γῆς. Et quia in his cœnitare solebant veteres, cœnacula dicta fuerunt. Eadę amicis aliquando diuertentibus de via locari solebant, vti hodie in publicis diuersoriis conclauia certis traduntur, hinc meritoria cœnacula dicta fuere, quia mercede conducta erāt. Eadem Triclinia à forma & situ discumbentium appellantur, vnde hîc triclinium vertit Erasmus: sunt tamen & biclinia, & exaclinia, octoclinia apud autores in vsu, vnde illud Poëtæ, *Octo capit veniat quisquis amicus adest.*

Tertia pars ædium ὑπόστεγα continet ὑπόργια dici possunt, quibus tectum incumbit: sed his omissis ad ἀνώγειον nostrum reuertamur. Obserua commendationes aulæ huius, vel cœnaculi: primùm est μέγα, commēdatur à capacitate & amplitudine. Deinde εὐρωστότον, locus est ab ornatu: nam εὐρω-

μνη hoc loco puluinaria, culcitras intelligo.

Solebant veters culcitras, quibus in cõuiuiis vtebãtur infarcire vel herbis, vel arborum foliis, vt hodie lana, plumis, vel stramine. Hinc στρωμνὴν vocarunt ὅτι ἐστὶν ἐκ φύλλων, quasi dicas humi stratũ: hinc ἐστρωμένον ἀνώγεων cœnaculum est culcitris paratum.

Tertiò addit ἕτοιμον, paratum, de reliquo ornatu dicitur & apparatu, vt locus intelligatur bene mundus, aliísque rebus ad cœnitandum necessarijs instructus.

Sic Christus optimus ὁδηγὸς suos dimittit. Videtur autem duo his Christus voluisse: primùm exercere voluit discipulorum fidem, deinde Diuinitatis suæ argumenta relinquere. Fides discipulorum exercetur, dum solis his indiciis credũt, & simpliciꝰ sensu Christi mandatum amplectuntur, in quo simplicitas in rebus fidei nobis commẽdatur. Vt vt rationi nouũ sit hoc genus missionis: tamẽ sine cõtradictione, & scrupulosa inquisitio Christi sermonẽ amplectũtur. Diuinitatis verò argumẽta reliquit nobis Christus, quòd absens videt, quę in vrbe fiãt. Videt hũc aquę baiulũ, videt ergò alios etiam aliis rebus occupatos. Consolationi hoc nobis inseruit, & vt maiori cum pietate versemur in vocatione nostra cogita

cogita enim te à Christo videri quicquid agas, hunc in laboribus suis videt: patienter ergo insiste officio tuo, Christus, vtvt labores te videt: tuas ærumnas, tuos sudores videt Christus. Sed otiosis & improbis etiam terrori esse debet: nam vt hunc videt aquam ferentem, ita alium videt in sua vsura occupatum, alium cum suo scorto. Disce igitur metuere dominum, & piè tanquam in eius conspectu versari. Præterea Christus nouit Patrem hunc familias, nouit intima domus eius, omnia penetralia videt. eodem pacto abscondita cordis nouit.

Quartò sequitur, ἐξῆλθαν, hoc est, quòd euentus dictis Christi responderit: nam eunt discipuli, quod obedientiæ est indicium, reperiunt omnia, vt Christus dixerat. Veritatis confirmatio est & fidei exercitium: demum parant Pesach, quo diligentia ipsorum commendatur. v. Euentus.

Sequitur altera pars in contextu, qua describitur sermo Christi habitus in Cœna legali: nam diligenter distinguendum est inter Pesach Mosaicum, quod Christus cum discipulis celebrauit, & Cœnam Dominicam, quam postea instituit. Narrat igitur hac parte Marcus, quomodo venerit Christus, cum quibus etiam venerit ad Cœnam, & quid inter cœnandum egerit. Sermo illi 2. Pars.

est de proditione Iuda, quem non obscurè indicat discipulis, & ipsum ad pœnitentiam incitat.

Πρότασις.

Tempus. Primùm igitur observa tempus, nam ὀψίας, inquit, Christum *venisse ad Cœnam*: vult ostendere Christum secundum legem Mosis celebrasse suum Pesach, vesperi plena iam luna, quod initium erat primi diei, hoc est, 14 primi mensis Nisan.

Secundò cum quibus. Dein cum quibus accedat? μετὰ τῶν δώδεκα. Ex quo discimus Iudam adfuisse primæ Cœnæ parti. Dein Cœnam hanc ad discipulos Christi pertinere, hoc est, eos qui illi adhærent, qui ei fidunt, spem & præsidium in solo Christo quærunt. Non igitur ad impœnitentes, improbos & flagitiosos, nisi qua ratione ad Iudam pertinuit.

Tertiò expendatur oratio Christi, est illa planè pathetica: nam magno animi dolore pronunciatur, in discipulis etiam perturbationem generat, & Iudę quoddam graue σκάνδαλον arguit. Scopus Christi est de emendatione eum admonere, & discipulis exemplum illius proponere.

Πάθος in singulis verbis. Πάθος primum est in ipsa propositione, quæ σωματοποιΐαν habet ἐμφατικὴν in singulis dictionibus. Primùm iurandi formula, Amen dico vobis, dolorem exprimit legenti, quasi non aliter crediturі videantur discipulo-

pul. Deinde quia vnus: magnorum regum plures inter eos sunt proditores, vnus tantùm facinus non facilè subit, sed Filium Dei prodi vsque adeò facilè est: Tertiò crescit dolor, quòd non ab externo, sed de numero discipulorum proditor sit delectus. Habebat quidem & alios discipulos Christus: sed illos duodecim arctissima amicitia sibi deuinxerat. Quartò nomen proditionis per se etiam est abominabile apud omnes nationes, nec possunt tantum scelus piæ aures sine offensa audire.

Quintò intolerabile est, quòd subdit, *me*, hoc est, benefactorem, præceptorem, liberatorem, quid maius dici poterat? Impium est prodi hominem, scelus à discipulo prodi, quid dicam Filium Dei ab homine prodi? non possum dicere, destituor idonea voce tanti sceleris.

Deinde, argumentorum series etiam pathetica est: nam monstraturus discipulis reliquis proditorem à generalibus sensim procedit ad specialia. Ἔνδειξις illa rem oculis elegantet proponit, & intellecturi erant facilè, nisi sensus stupidi fuissent. Πάθος in argumentis.

Primùm γρυπὸν erat, *vnus è vobis*: nam cùm haberet alios etiam discipulos, de præsentibus quæstio satis dubia adhuc erat: vnus è vobis scilicet discipulis meis, quod

illi facilè ad 70. discipulos, aliósque quos clàm habebat trahere poterant. Propiùs ergò accedit. *Qui edit mecum*, hoc sanè mortis conscientiæ non carebat, quandoquidem hæc in Cœna dicuntur: tamen obscurum erat ex ambiguitate, cùm edendi verbum conuictum & familiaritatem poterat significare.

Tertiò remouet ambiguum manifesta declaratione mentis, *vnus è duodecim*, expressum hoc & perspicuum erat, in mensa præsentem assidere proditorem. Crescit eo pathos, denique rem perficit, *qui intingit mecum in catinum*: personæ certæ est notatio, nam simul Iudas intingit: & vt Ioan. 13. scribitur Christus etiam ψωμὸν βάψας Iudæ porrexit. Sic non obscurè proditorem discipulis delineauit, & magno quidem affectu: nam Ioannes scribit, quòd in his sermonibus Christus sit perturbatus Spiritu ἐταράχθη τῷ πνεύματι. Sed quàm parum his attenderint ibidem scribitur Ioan. 13. In Christo igitur ταραχὴ verè fuit πάθος.

2. Πάθος in discipulis.

Λυπὴ.

Porrò discipulorum affectus λυπὴ est. Iustus hic dolor fuit tum ex indignitate, cùm ob amorem, quo Dominum prosequebantur, denique propter gratitudinem, quam illi debebant. Est & λυπὴ πάθος, & quidem satis

satis graue: quòd hîc declarant discipuli, dum adeò studiosè inquirunt. *Num ego? Num ego?* Inquisitio hæc speciem excusationis habebat: nam cùm Christo rem notam esse animaduerterent, singuli sese, quasi examini offerunt, & volùt de eo ipsius subire iudicium. Incæteris testimonium innocentiæ erat: in Iuda verò impudentis cæcitatis & indurationis: nam reliquorum exemplo se etiam pugnare voluit ingenium hypocritarum hîc exprimit.

Ioannes cap. 13. alium affectum discipulorum notat, ἄγνοιαν scilicet: nã testatur neminem hoc intellexisse, sed de rebus emendis, aut dando aliquid pauperibus illum fuisse admonitum suspicatos. Sic stolidi & tardi ad intelligendum sumus etiam in lucidissimis demonstrationibus diuinis, nisi Dominus Spiritu suo nos illuminet. Ἄγνοια.

In Iuda notatur temeritas, qui contra conscientiam examini Christi etiam sese offert, quod tamen perferre non potest. Deinde stupor pernicioſus, qui ad sermones Christi tam apertos, tam amicos nihil sit commotus. lapideum verè & adamante durius cor illud obrigniit. 3. Πάθος *in Iuda.*

Tertiò, pœnarum denuntiatio patheticam planè facit orationem, *Bonum erat illi, hoc est, honestum & vtile, non nasci.* Est autem

collatio quædam: nam per se, non nasci bonum illi non fuerat, sed ad mala nasci turpe esse vult dicere. Quare honestius & vtilius illi fuerat planè non nasci, quàm sic nasci. Dicit ἀξίωμα, Euangelium melius esse non subsistere, quàm malum subsistere: non nasci, quàm in malo perdurare finaliter.

Quartò, diuina prædestinatio de cursu filij Dei eiúsque morte, ad veritatem oraculorum diuinorum facit: deinde ostendit nihil casu Christo accidisse, sed certa dispensatione Dei. Denique timorem nobis incutere debet, vt discamus timere Dominum, & rogare seriò, ne organa iræ ex nobis faciat: sed pro misericordia mentes tractabiles, mendabiles, ad pias admonitiones concedat, ne tanta duritie reluctemur salutaribus cohortationibus.

Hactenus de Cœna legali, de qua nolo copiosiùs admonere, cùm superiùs quædam ad eam rem facientia, addiderim ex Leuit. 23. Exod. 12. ex quibus locis ritus ille est plenius petendus. Iam ad tertiam partem, quæ instituti nostri propria est deueniamus.

3. Pars de Cœnæ institutione.

Duo sermones à Christo habiti sunt in mensa, quorum prior iam est expositus de proditore Iuda: posterior verò ad noui populi nouum pertinet sacramentum, quo Euangelista describit institutionem Cœnæ Domini-

Dominicæ, omnibus diligenter expreſſis circunſtantiis. Nos illa omnia ad hæc quatuor conferemus: primùm enim hinc ſtatuendum, quid ſit Cœna Domini: deinde quid hîc faciat Dominus: tertiò quid nos facere iubeat: & quartò quis horum ſit vſus, de his breuiter agemus.

Quid ſit Cœna Domini.

De definitione ſtatuendum eſt ex circunſtantiis in contextu expreſſis: nam quis inſtituerit indicat, Chriſtus nimirum: ſecundò, quando, iam moriturus in vltima cœna, edentibus illis: tertiò, quid, panem & vinum corporis & ſanguinis ſui ſymbola: quartò, quomodo, agens aliquid & verbis actionem declarans, vt in myſticis fieri ſolet inſtitutionibus: quintò, quo fine item, nimirum in ſui commemorationem, vt Lucas habet, in remiſſionem peccatorum, & Matthæus. Ex quibus notis definiatur Cœna Domini ad hunc modum.

Definitio Cœnæ.

Cœna Domini eſt Sacramentum à Chriſto inſtitutum, in quo ſymbolis panis & vini fideles myſticam corporis & ſanguinis Chriſti communionem profitentur: & ſacrificium illud Chriſti pro remiſſione peccatorum in ara crucis ſemel peractum, iugi memoria, dilectione mutua, gratis animis celebrant. Definitio illuſtris eſt & plena: habet enim cauſas omnes perſpicuè expreſſas,

nec indiget longiore explicatione. Studiosi eam diligenter examinent & animo imprimant.

Quid Christus fecerit.

Alterum est, quid hîc faciat Christus, illustrabunt illa causam efficientem & formalem: nam Christus considerandus est hîc, vt nomotheta, & Noui Testamenti conditor, sic autor est institutionis istius.

Deinde considerandus est modus, quid & faciens & dicens Sacramẽtum hoc instituat. Prius autoritatem rei conciliat: Filio enim Dei hîc credi debet, & institutio illius augusto haberi loco: posterius & ad fidem & ad perspicuitatem facit. Expende ergò modum instituentis, partim in factis, partim in dictis consistere.

Facti est, quòd de pane & poculo dicitur λαβὼν ὁ Ιησοῦς, sua autoritate accepit symbola, præsenti negotio idonea: accepit vt autor, accepit vt institutor, & nouis Symbolis noua expressurus mysteria.

Deinde de solo pane dicitur ἔκλασε. Fractio mortis Christi typus est: frangitur panis in multos distribuendus, sic laceratur corpus Christi, pro multorum reconciliatione immolandum.

Tertiò, iterum de vtroque dicitur ἔδωκε, dat vtrumque, panem scilicet & poculum, cùm panem solùm frangat: nec enim poculi idonea

idonea erat fractio, sed vini distributio satis indicabit sanguinis effusionem. Dat Christus, quia solus ille se fidelibus exhibet, vt solus redemit. Quia igitur accepit Christus, meminerimus nil hîc de nostro addendum: sed quæ Christus symbola instituit, ea simpliciter retineamus. Quòd frangit, mortis & meriti, item communicationis admonemur. Quòd dat veram exhibitionem sui ab ipso Christo expectemus: nam is solus & Symbola & rem eorum dare potest: minister verò externa, interna non statim etiam confert.

Quid dixerit.

Porrò non muta est hæc actio: sed Symbolis suam adhibet interpretationem, nec non officij nos nostri admonet subindicans fines aliquos. Primùm igitur ad formam iterum pertiner de pane, quòd ait εὐλογήσας, de poculo verò εὐχαειςήσας. Ad formam quidem institutionis pertinet: tamen admonet qua religione, quo animo oporteat accedere, grato nimirum. Et quanquam semper & vbique gratos deceat nos esse Dei beneficiis: tamen in huius celebratione, vtpote maximo, præcipuè gratos animos declarare debemus. Εὐλογία præcipuè complectitur certa verba, quibus benedicimus mensæ. Εὐχαειςία verò animi affectus, quibus beneficium agnoscimus, magnifacimus

& laudes redemptori canimus.

Deinde symbolorum declaratio additur, panem Symbolicum sic, hoc est corpus meum. Poculum mysticum verò, Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effunditur. definitiones sunt illustres, & negotio conformes. Hinc rectè dicitur, Quid est panis symbolicus? R. Est corpus Christi. Quid est vinum mysticum? R. Est sanguis Christi, qui pro remissione peccatorum effunditur. Definitiones sacramentales sunt, & ex Christi mente intelligendæ. Loquitur autem de nouis sacramentis, quare sacramentaliter sunt, quòd hîc esse dicuntur: nec debemus ad proprias significationes vocum redire intermissis sacramentalibus, quemadmodum Baptismus regeneratio dicitur, diploma hæreditas, Christus petra, ex qua biberunt Patres in deserto.

Sacramẽtales definitiones vel phrases loquẽdi.

Tertiò, expendant studiosi, quid Christus nos iusserit facere: nam vult nos esse actores etiam, & partem negotij subire, sine qua res perfici non potest. Primùm iubet *accipere*, & Apostoli sine mora accipiunt: non dubitemus ergò & nos accipere, quod non solùm exhibet, sed iubet à se accipere.

Quid nos facere iubeat.

Deinde φάγετε inquit, vt manibus accipimus & fide, sic edimus ore & fide. Externa actio-

actiones externis competunt: internis verò internæ. Idem de potu intelligitur, *Biberunt ex eo omnes*: omnes enim redimimur vnius Christi sanguine, nec aliud est medium salutis. Serua requiri à nobis, vt simus, actores, non spectatores: deinde exemplo Apostolorum non scrupulosè inquirendum, sed symbolis credendum. Denique de symbolis loquentem symbolicè intelligamus, sic multis ambagibus liberabimur & inuolucris disputationum.

Quartò expendamus vsum etiam, hoc est, vt rectè accedere possimus ad hoc Christi epulum. Consistit is in consideratione officij, tum administrantium, tum etiam sumentium: nam in Cœna hæc duo personarum genera occurrunt, Christus hîc administrat, & dispensator est suorum bonorum, à quo discant ministri, quid illorum sit officij, non quidem dispensare gratiam, nam id solius est Christi: sed distribuere, quod à Christo acceperunt, Symbola externa. In his nihil ab ipsis est immutandum: reperti enim sunt, qui fermentato vterentur pane, cùm Dominus azymis vsus sit: tamen ne hoc tanti est momenti, vt de eo disceptetur, si reliqua omnia instituto respondeant. Alij vino aquam miscuerunt, ex eo moti, quòd è vulnere Domini effluxit sanguis & aqua: Vsus.

præterea, quòd Græcis infusio sit mixtio, mixtionem igitur reipsa voluerunt exhibere. Alij etiam sola aqua vsi sunt, nonnulli etiam lacte: verùm institutum Domini seruetur κατὰ τὸ ῥητόν.

Ad vsum verum etiam administrantium pertinet, vt forma conseruetur eucharistica, eáque simplex, ne nouo incantamento conentur illic rerum transmutationes, de quibus Christus hîc nihil agit. Curent autem, vt pij sint, & digni dispensatores tantorum mysteriorum: sed de illorum officio non est cur plenius agamus.

Vsus sumētium ratione.

Nostrum est qui sumus de numero sumentium, nos probè excutere, vt cum discipulis pia mente sumamus, quod dat Christus per ministros, & rogemus ardenti pectore, vt non solùm externa, sed magis interna dona sua nobis conferat. Ad hoc consequendum expende primùm, qualis iam sis: deinde qualem te Christus esse velit: tertiò, qualis posthac esse cupias.

Quales iam simus.

Primùm quales iam simus, excutiamus diligenter manticam nostram à tergo, in qua reponemus lapsus nostros & peccata, quæ indignos nos omnes sane constituunt: alius enim alio detinetur crimine: vos iuuenilia vestra expendite, nos nostra singuli sua, indigni certè reperientur. Verùm indignitati huic

huic oppone præceptum Christi, *Accipite, edite, accipite, bibite*. Iubentis autoritas plus apud nos efficere debet, quàm naturæ nostræ conditio. Sim ego indignus, esto: tamen Christus dignus est, vt ei obtemperem.

Alterum est, quales nos velit esse Christus, gratos, memores, de numero suorum, hoc est, qui vita & moribus professioni nostræ respondeamus. Beati erimus, si beneficium tantum agnoscamus pro nostrorum peccatorum remissione peractum. Memores, si celebremus mortem eius. Ἀνάμνησις ad fines pertinet, quemadmodum in agni Paschalis celebratione Moses etiam addit, Et erit dies illa nobis, *lezicaron*, in memoriale. Quales nos esse velit Christus.

Tertiò plurimùm hîc refert, quales nos posthac esse velimus: nam si prius vitæ genus vsque adeò placet, vt eius non pœniteat, nec de emendatione simus solliciti, frustrà agimus, satius est abstinere. Sin de emendatione, vt par est, seriò cogitamus, idonei erimus Christi conuiuæ. Rogandus est igitur Deus Pater, vt velle & perficere det, quia solus potest, per Iesum Christum Filium suum, Amen. Quales nos posthac esse velimus.

LECTIO

LECTIO SECVNDA DE Cœna Domini ex capite vigesimo secundo Lucæ.

* *
*

Vers. 14. *Quum igitur adesset constitutum illud tempus, discubuit & duodecim Apostoli cum eo.*

15 *Et dicit eis, desiderio desideraui hoc Pascha vesci vobiscum antequam ego patiar.*

16 *Dico enim vobis me non amplius comesturum ex eo quousque compleatur in regno Dei.*

17 *Et accepto poculo, quum gratias egisset, dixit, Accipite hoc, & partimini vobis ipsis.*

18 *Dico enim vobis, me non bibiturum ex fructu vitis, vsquequò regnum Dei venerit.*

19 *Et accepto pane, quum gratias egisset, fregit, & dedit eis dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei recordationem.*

20 *Itidem etiam dedit eis poculum, postquam cœnasset dicens, Hoc poculum nouum est,*

illud

illud Testamentum per sanguinem meum, qui pro vobis effunditur.

EXplicandum iterum nobis est negotium Cœnæ Dominicæ, in qua decet nos eò esse vigilantiores, quantòres est augustior & grauior. Etenim tota nostra vita debebat esse perpetua vigilia, tamen in his sacris actionibus in primis diligentia & sobrietas à nobis requiritur. At cùm id ab omnibus requirat pietatis ratio, adolescentes cogitare debent suam in his rebus præcipuè exigi diligentiam, vt attentè & præsentibus animis tractationem Cœnæ Dominicæ audiant. Sunt enim hi cœtus Scholastici pars Ecclesiæ non minima, cui Christus sua reliquit sacramenta. Deinde seminarium sunt Reip. prodeunt enim hinc etiam boni gubernatores, qui non bene curam habebunt religionis, nisi doctrinam Christi de præcipuis articulis rectè imbiberint. Et dici verè potest, tum fore beatas Respublicas, si vel præsides fuerint periti religionis, vel periti cœperint gubernare Rem publicam.

Præterea hinc prodibunt etiam Ecclesiarum doctores, qui nunquam poterunt doctrinam de Sacramentis, de præcipuis

fidei articulis proponere & populo explicare, nisi quam sæpissimè rectè de his sentientes, audiuerint. Et quia aliqui ex scholastico hoc cœtu etiam communicare instituerunt, attentis animis & legere & audire veras explicationes debent. Accedit illis exemplum Ecclesiæ, quæ ad sui imitationem meritò iuuentutem excitare debet. Animaduertitis enim facilè, quanta cura & pietate hisce diebus cōcursus fiant, magna frequentia passim à laboribus, ex officinis artificum confluunt, vt veram audiant interpretationem Cœnæ Dominicæ, vt ad eam paratioribus animis accedant. Hanc diligentiam etiam in schola adhibere valde est vtile. Ac quòd præsens attinet, eam iuuare & promouere cupio, hac explicatione verborum Lucæ.

Argumentum. Lucas copiosè & perspicuè explicat negotium Cœnæ Dominicæ, præsertim quæ in ipsa Cœna à Christo acta sunt. Hac institutione exprimit præcipuas circunstantias, quis instituerit, quando, quid, quomodo, quibus, quo fine.

Ac vt negotium melius intelligamus sic accipite: in hoc capite, quæ ad negotium Cœnæ pertinent referuntur ad duo membra.

Diuisio. Priùs habet παρασκευὴν, hoc est, adornationem

nationem Cœnæ, in quo docet Lucas, per quos præparata sit, quando sint missi, quomodo missi,& vbi tandem parata.

Posterius habet celebrationem Cœnæ Paschalis, & institutionem noui Sacramenti,ac sermones Christi diuersos in ea cœna habitos. Referuntur ista omnia ad locos quinque. Primùm Christus hîc nouam instituit Cœnam: secundò de proditore discipulos admonet: tertiò de primatu contendentes modestè obiurgat: quartò singulariter Petrum de lapsu præmonet, & ad officium cohortatur, demum reuocat eis in memoriam statum felicissimum,quo sub eius cura & patrocinio hactenus vixerunt: hinc periculi magnitudinem opponit, quod paulò pòst eos sit oppressurum.

De his omnibus non est, quòd in præsentia expectetis explicationem: longioris enim ista sunt moræ & temporis. Nos solùm medium quasi membrum excerpsimus, quod huius est instituti proprium, de Institutione Cœnæ Domini.

Summa & propositio sic comprehendi potest: Cœna Domini ad institutum Christi, & exemplum Apostolorum, decenter, & quàm religiosissimè celebranda est. Πρόταστς.

Ad hanc sententiam respiciant adolescentes,& in progressu animaduertant, quomo-

do ex verbis Lucæ explicetur: nos enim ad hanc singula referemus ἀναλύσει scolastica, Vos attentè προσέχετε τὸν νῦν.

Ἀνάλυσις continens τῆς προτάσεως ὑποχειρήματα.

A tempore. *Et cum esset tempestivum accubuit.* Significat Lucas tempus institutionis & celebratæ Cœnæ, Græcè elegantiùs dicitur ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα, cùm esset hora. Decenter fit, quod suo tempore fit: Christus certo & præfinito tempore instituit & celebravit: ergò & nobis ad institutionem eius decenter & certo tempore est celebranda.

1. Argu. à Tempore.

Quòd certo & præfinito tempore instituerit Christus, ex Luca constat, ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα.

Hora. Hora illa primùm ex præcedentibus sumi potest, hora vespertina, cùm iam parata esset cœna à Petro & Ioanne, quos huius gratia præmiserat in vrbem ad quendam Patremfamilias.

Deinde hora illa rectiùs explicatur ex Mose, designauit enim Moses certum & præfinitum tempus quo agnus Paschalis immolari & comedi debuit, nimirum decimoquarto die sub vesperam, primi mensis Nisan, plena iam luna Exod. 12.

Hanc

Hanc horam obſeruauit Chriſtus, & ſecundum legem Moſis ſuum Peſach celebrauit, cùm Iudæi ſequentes Patrum traditiones & conſuetudinem, celebritatem hanc reiecerint in poſterum diem.

Adde horam iam fuiſſe, vt immolaretur verus Agnus Paſchalis, de quo Ioan. 1. Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Nam Apoſtolus 1. Cor. 15. ſcribit Chriſtum paſſum ſecundum Scripturas, volens ſignificare præfinitum fuiſſe iam pridem tempus paſſioni Chriſti. Hora illa iam imminebat: voluit igitur Chriſtus, tempori ſeſe accommodare & inſeruire.

Nos igitur ad inſtitutionem debemus reſpicere, & cogitare, vt decenter quoque hoc eſt, ſuo tempore quoque eam celebremus. Dicunt Græci eleganter ὁ καίρος πάντὸς ἔχει κορυφάν, tempus omnium rerum habet apicem, hoc eſt, certa momenta, in quibus res cõmodè geri poſſit: his neglectis rei occaſio quoque magna ex parte elabitur. Meminerimus nos illa momenta iam adeſſe, & quam paratiſſimis animis hoc cæleſte epulum celebremus. Pind. Pyth. 3. 3. Stra. 4.

Secundo exprimit Lucas cum quibus celebrata ſit cœna, *Accubuit Chriſtus & duodecim diſcipuli cum eo.* Adhibentur duodecim, quia hi teſtes harum rerum futuri 2. Argu. à perſonis ordinariis.

erant, infrà 24. & Actor. 1. Deinde quia harum rerum etiam debent esse dispensatores 1. Cor. 4. Certos ergò & ordinarios adhibuit Christus, eósque solùm, ad quos negotij illius institutio pertinebat. Quare & nos meminerimus non licere nobis accedere, imò decenter & religosè celebrari à nobis non posse, nisi ex animo cupiamus de numero discipulorum Christi esse. Religiosè ergo & decenter à nobis ad imitationem Apostolorum & Christi institutionem est celebranda.

Tertium ἴδιος argum. Christi.

Tertiò adiecit ἴδιος Christi instituentis, *Desiderio desideraui hoc Pesach comedere vobiscum.* Nota est phrasis linguæ, qua affectus pius exprimitur, quasi dicat, ardentissimè, cupidissimè hanc cœnam vobiscum sumo. Ratio est, quia hostia ipse mox futurus est, & agnus verè Paschalis tollens peccata populi sui. Deinde quia ardenter desiderat & curat salutem nostram. Ioan. 15. Maiorem dilectionem nemo habet, quàm si ponat quis animam pro amico suo. Colligamus ergò ad hunc modum, Christus magno affectu & religiosè instituit hanc cœnam: ergò à nobis etiam magno desiderio, pio affectu & religiosè celebranda est.

Quartò, quia vltima hæc est futura in rebus humanis: addit enim, *antequam pa-*

tiar,

tiar, quæ verba rationem reddunt quidem cur cupidè, cur desideranter edat Christus Agnum Paschalem cum discipulis. Sed nos discamus commendari hinc nobis cœnæ negotium: si enim futura hæc est vltima, religiosè à nobis coli debet: nam etiam leuissima γνωρίσματα religiosè excipimus ab amicis, si vltima futura sint. Et quid si nobis hæc futura quoque sit vltima in rebus humanis. Etenim vt rerum est facies, & sæuientis pestis diritas, nemo speret omnes nos hoc numero, quo nos communicaturi sumus, ad diem Paschatis superuicturos.

Cogitent ergò singuli & decenter, vt quàm religiosissimè sese accomodent præsenti cœnæ, vt si sit hæc vltima futura, alacres in spe & fide misericordia Dei, collectis sarcinis è rebus humanis emigrent.

Quintò quia magna religione instituitur, nam de poculo dicit, quod mox de pane repetit, εὐχαριστήσας *gratiis actis*. Cum gratiarum actione instituitur: ergò religiosè & decenter instituta est, & ad eundem modum nobis est etiam celebranda. Commendatur nobis pia ciuilitas, qua ad mensam debemus quotidie accedere & recedere, vt cibum & panem quotidianum cum gratiarum actione sumamus. Imprimis autem ad

mensam Domini memores εὐχαριστίας debemus accedere.

Sextò, quia regni Dei argumentum est, ideo decenter & religiosè à nobis celebranda. Quòd fit regni Dei argumentum cœna Domini, his hîc exprimit: de pane primùm, *Non edam amplius ex eo, donec impleatur in regno Dei:* mox de poculo, *Non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat.*

Significat Christus plenitudinem regni Dei instare, sic vt vbi deinceps viderint edentem & bibentem, certissimò colligant adesse regnum Dei. Quare hæc vltima est in rebus humanis, ita vt mox Christum à mortuis habituri sint redituum.

Et quia Christus post resurrectionem edit & bibit cum discipulis, quidam ad illa præsentem referunt locum. Alii ad gaudium cœleste, & nuptias filij regis, in quibus fideles omnes sint accubituri in vita æterna. Nobis ad præsens institutum satis est cœnam hanc, regni Dei esse argumentum: primùm obedientia hoc testamur nos dicto Christi esse obedientes, deinde regnat in nobis suo Spiritu, dum suorum bonorum dispensator ipse nostras hîc alit conscientias, & in fidei vnione regit. Demum sic ad regnum Dei, hoc est vitam æternam in dies proficimus, detestati prius vitæ genus, co-

na-

namur deinceps vera pœnitentia ad conditoris noſtri voluntatem redire.

Septimò à cibi qualitate & præſtantia: nam de pane dicit *hoc eſt corpus meum*, de poculo verò, *hoc poculum Nouum Teſtamentum eſt per ſanguinem meum.* Oſtendit quid hîc ſit principale, ad quod ſpectet tota illa actio, corpus ſcilicet & ſanguis Domini. Cæterùm ὀεικτικὰ illa *panis eſt corpus Domini, & vinum eſt ſanguis Domini* ſacramentali modo ſunt accipienda, quemadmodum aliæ phraſes ſacramentales, nec ſuperſtitioſè debemus prædicata vrgere, quod intelligere poſſunt adoleſcentes familiari exemplo. In dialecticis proponi ſolent nobis interdum definitionum genera κατὰ μεταφοράν, & exempli gratia hæc, aut his ſimilia citantur, Conſul eſt cor ciuitatis Sol eſt oculus mundi, quæ dextrè intellecta vera ſunt, Quòd ſi pergas dicere, ergò mundus eſt, animal, in cuius fronte ſol ſit oculus, abſurdus eris. Sic in Sacramentalibus phraſibus, paniseſt corpus Chriſti: non tamen ſequitur, ergò panis eſt ſubſtantia corpus Domini, aut corpus Domini eſt localiter præſens in pane, quemadmodum nec ſol carneus eſt oculus, nec mundus animal eſt. Sed in his quærenda eſt analogia, quæ rebus omnibus congruat. Verum ad præſens ſatis eſt argumenti, hic

cibus non prophanus exhibetur : sed corpus & sanguis Domini, quo cibantur animæ nostræ, hoc est, Christus quantus quantus est, sese nobis totum donat: ergò religiosè & decenter celebranda est.

Octauò, quia hîc celebratur ἀνάμνησις Christi : nam inquit, hoc facite in mei recordationem, respexit Christus indubiè ad Mosis institutionem, in qua iubentur Pesach celebrare *lezicaron*, hoc est, in memoriam liberationis ex Ægypto. Volens docere Christus, iam adesse veram liberationem à peccato, cuius seruitus Ægypti seruitute fuit adumbrata : meritò igitur in memoriam tantæ rei extare debuit Symbolum aliquod.

Nonò, quia non testamenti habet rationem, quæ vtique decent, & religiosè inter homines etiam solent celebrari. Nam primùm in illos sunt bona legata, quæ decenter conferuntur : sunt testes, qui audiuntur hæredes, ad quos illa spectant : est testator, qui omnia moriturus studiosè & religiosè disponit, & ob id hominis testamentum videre scelus est habitum. At Christus inquit hanc suam cœnam Testamentum esse nouum per sanguinem suum confirmatum: decenter igitur & quàm religiosissimè celebrandum est. Quomodo rationem habeat

Noui

Noui Testamenti aliâs diximus.

Decimò, quia nostra hîc agitur salus nam de poculo dicit, qui effunditur pro nobis. Finis est institutionis salus nostra. Quæ ad salutem nostram spectant, & redemptionem, studiosè & religiosè sunt celebranda: cœnæ institutio ad salutem nostram spectat, & redemptionem nostri reuocat nobis in memoriam: ergò religiosè est celebranda. Impleturus est Christus, quod dixit de se Matth. 20. Filius hominis non venit, vt sibi ministretur, sed vt ipse ministraret aliis, & vt daret animam suam pro multis. Sic Ioan. 10. Bonus pastor animam suam dat. Docemur hîc omnia agi in nostri commodum, nihil quærit hîc Christus priuatum, aut quod suũ esset: sed nostra omnia hîc sunt lucra. Pro nobis effundetur sanguis Christi, morti tradetur corpus eius pro nobis, in cuius rei testimonium nobis hanc reliquit institutionem: ergò decenter & religiosè à nobis est celebranda.

Hactenus verba contextus sequentes diximus, quomodo sit celebranda cœna, nimirum ardenter, religiosè & decenter, ídque ad exemplum Domini instituentis & discipulorum, qui primi fuerunt communicantes mysterij huius.

Ex his argumentis adolescentes iam quæ-

Ἁπλᾶ προίσματα. dam, tanquam προίσματα secum referant, qualia sunt, quæ hîc imprimis tenere oportet, Quis instituerit? Christus scilicet: quando? vltima nocte & secundum legem: vbi? Hierosolymis apud pium patremfamilias: quid? mysticam communionem corporis & sanguinis sui: quibus? discipulis suis, hoc est, omnibus fidelibus, qui cupiunt esse de numero discipulorum Domini: Quomodo? ad imitationem cœnæ Paschalis, quæ memoriam liberationis ex Ægypto reuocabat: sic posthac memoria liberationis à peccato & morte celebrabitur. Cur pane & vino? quia sunt analoga, quæ rem appositè exprimunt: explicetur analogia. Quo fine? εἰς ἀνάμνησιν, confirmetur fides, vt sit Ecclesia Christi externis etiam symbolis separata ab aliis cœtibus, vt testemur gratitudinem in Deum, amorem in proximum, sint exercitia pietatis, occasio pœnitentiæ.

2. Quid sit Cœna. Hæc simplicia sunt, quæ iuuenes scire debent: deinde his addant σύνθετα, vt quid sit cœna Domini. Ac definitionem facilè est construere ex superioribus, vt non erres multum à scopo præsentis negotij.

Definitio Cœnæ. Cœna Domini est Sacramentum à Christo institutum, in quo symbolis panis & vini, fideles mysticam corporis & sanguinis Christi communionem profitentur. Et sacrificium

crificium Christi pro remissione peccatorum in cruce semel peractum, iugi memoria dilectione mutua, gratis animis celebrant.

Definitionem facilè intelligent auditores, si ad causas eam retulerint, quas est facilè hîc ostendere. Efficiens causa est Dominus Iesus Christus institutor & autor Sacramenti. Efficiēs.

Materialis causa, mystica corporis & sanguinis Christi communio, hoc est, participatio Christi meritorum, qua sese totum suis fidelibus offert modo sacramentali, non ori & dentibus, sed cordi & animæ. Materia.

Forma, qua hæc mysteria peraguntur, in definitione habet illa verba, Symbolis panis & vini: placent enim Christo impositori, hac forma memoriam sui relinquere, quæ & parabilis esset, & analogiam cum rebus signatis haberet, quibus eleganter inseruiunt panis & vinum. Forma.

Causa finalis in definitione expressa est, mortem Christi celebrare, qua sacrificium pro peccatis nostris peregit. In hac celebratione est recordatio beneficiorum Christi, quæ & quanta nobis contulerit mors eius à quantis malis liberauerit. Deinde grati animi significatio, quò pertinet laudare nomen Domini, aliis hæc commendare & prædicare. Finis. Memoria Christi.

Ad fines etiam pertinet, confirmare in nobis dona Domini, in dies magis magísque Christo incorporari, fidem testari, dilectionem fraternam declarare, consensum in Christo cum Ecclesia sua profiteri.

Tertiò, considerent etiam hîc quomodo pauci debeant accedere. Monet Apostolus grauissimè, vt probet se priùs homo, & ita demum de pane illo comedat. Hanc ἀξέτασιν, seu δοκιμασίαν non debemus leuiter instituere, & Grammaticorum more, qui in examinandis erroribus Vlyssis admodum diligentes sunt, ipsi verò suos errores non animaduertunt. Debet igitur censura de nobis à nobis ipsi institui.

Ac si pergamus singuli suam à tergo excutere manticam, non deerit materia, quam emendes. Vt plurimùm in scolis laboramus enormi negligentia, & corruptis moribus, quæ vitia peculiaria sunt iuuentutis: inhæret negligentia etiam præceptoribus in docendo, obscuritas in tradendo, prolixitas in explicando, studium contentionis & rixarum in suis tuendis dogmatibus.

Hæc & similia discamus ex animo odisse, & emendare, accedet studium veræ inuocationis, obedientia honestarum legum, ardor in discendo. Ad hunc modum, si tibi displiceant anteacta vitia, & pectus ardeat vir-

virtutis amore, ſatis inſtructus ad præſens accedes epulum.

Nam quòd nos attinet fateri cogimur, nos indignos omni Chriſti merito, nedum hac Synaxi. Sed quid tum? eſto indignus ſum ego hac cœna: at dignus eſt Chriſtus, cui iubenti obediam. Indigni erant claudi & cæci nuptiali cœna: quia tamen Rex vocari iuſſit, ſatis digni erant pariter boni & mali. Et Apoſtolos, ſi expendas, in his certè hactenus regnauit partim ἄνοια: Chriſto enim concionante de cruce & perſecutionibus, illi de primatu rixantur. Partim δραστύτης, vt in Petro, partim βραδύτης: tardi enim ſunt, & altum ſtertunt, dum Chriſtus in agone ſudat, vſque ad ſanguinem. Accedit δειλώτης: fugiunt enim à Chriſto iam capto: & ſæpiuſcule ἀφροσυνοι hactenus fuêre in ſermonibus cum Chriſto: tamen nunc adſunt in hoc ſanctiſſimo epulo. Ideóque non tam refert, quàm quiſque ſit dignus, quàm qualem Chriſtus te velit eſſe, nimirum de numero ſuorum diſcipulorum, ſui memorem, & gratum erga ipſum, in tanta largienda gratia tibi ingrato. Matt. 22.

Hîc tu iam tecum etiam atque etiam conſidera, qualis poſthac eſſe velis. Si ex animo cupis ex diſcipulorum Chriſti numero eſſe, ſi ipſum ſeriò amas, ſi tua tibi ſeriò diſ-

plicent, si vitiorum subest & peccati odium, desiderium nouæ vitæ & emendationis, accedie hilari fronte, hac veste nuptiali tutus eris in cœtu discumbentium.

LECTIO TERTIA DE COEna Domini ex decimotertio & decimoquarto cap. Ioannis.

Vers. 1. *Ante festum autem Paschæ, sciens Iesus venisse horam ipsius, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, quùm dilexisset suos qui erant in mundo, vsque ad finem dilexit eos.*

2 *Et Cœna facta (quum diabolus iam immisisset in cor Iudæ filij Simonis Iscariotæ, vt proderet eum.)*

3 *Sciens Iesus Patrem omnia dedisse sibi in manus, & se à Deo exisse, & ad Deum abire.*

4 *Surgit à Cœna & deponit pallium, & accepto linteo præcinxit se.*

5 *Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus: &c.*

Vtilis

VTile est, & simul necessarium, vt officii sæpiùs admoneamur: sumus enim natura sic comparati, vt de officio Christiani hominis non satis grauiter cogitemus: acsi interdum maximè expendamus illius magnitudinem, facilè locum demus otio, aliisque vitæ humanæ occupationibus: officii autem ratio vltimum, interdum nullum sortiatur locum apud nos, ideóque necessum est sæpiùs de eo nos admoneri. Ac necessitas quidem inde facilè perspici potest. Moses grauiter scribit voce Domini Genes. 8. *Iezer leu ahadam, rann*, hoc est, figmentum cordis humani malum est à pueritia sua: quasi dicat natura id nobis inhærere, & vna nobiscum nasci, vt simus ad malum proniores, quàm ad bonum. Hinc Apostolus quoque ad Romanos 7. fatetur se reperire aliam legem in membris suis, quæ repugnet legi mentis: item quæ nolit se facere ea, quæ velit non facere.

Vtilitas verò magna est: etenim officij ratio coniuncta est cum nostri quadam censura, vt scilicet intelligamus, qua parte à nobis sit hactenus peccatum, quid intermis-

sum, quid factum, quod non oportuit. Hinc pij seria pœnitentia ad Deum redeunt: interruptum officium alacriter resumunt, approbant sese Domino, & testantur vita & moribus, se sibimet seriò displicere. Quod sanè nihil aliud esse iudico, quàm quòd
Philip.2. dixit Apostolus operari salutem suam cum metu & tremore. Ideóque Dominus voluit in veteri populo, legem in propria esse meditatione apud adultos, vt bono exemplo iuuentuti præessent. Apud iuuentutem verò, vt pietatis veræ addiscerent ceremonias: vtrósque autem sic retineret in officio pietatis. Quare iubet Dominus Deut. 4. vt nota faciant mandata sua filiis suis. Et Exod. 13. si interrogauerit te cras filius tuus, &c.

Nos ista sic intelligamus, quasi ad nos etiam spectent. Multa sunt, quæ nos officij nostri admonent hodie, in primis verò Ecclesiæ nostræ consuetudo, quæ his diebus frequentiori cœtu solet conuenire, sæpius etiam quàm aliàs. Ac adducit secum iuuentutem, pueros quoque, vt intersint sacris, audiant verbum Domini, orent cum toto cœtu, testentur se verè ex piis parentibus, frugi esse liberos, quæ sanè consuetudo longè est honestissima.

Lib 1. cap. 23. Scribit Gelllius quodam loco in historia Papyrij prætextati veteres Senatores Romæ

mæ ſolitos fuiſſe, ſecum in curiam deducere adoleſcentes, vt intereſſent honeſtis deliberationibus, conſultationibus Reipubl. nimirum, vt maturè addiſcerent patriæ conſulere. Nos multò rectiùs laudabimus honeſtiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem, qua hodie turmatim cogit iuuentutem ad cœtus ſacros vt diſcant, quæ ſint religionis noſtræ præcipua capita, qui ritus, quę ſacramenta, audiant etiam veram interpretationem præcipuorum locorum Scripturæ.

Quare ſtudioſi adoleſcentes exemplo publico Eccleſiæ excitari debent, vt de negotio paſſionis Dominicæ verè & ſeriò cogitent, expendant etiam, qui ab ipſis hactenus ſit intermiſſum, quæ eos facere decebat, quid commiſſum, quod omitti oportuit. Celebris eſt in hac re ſententia Pythagoræ, quam ſeriò voluant ſecum iuuenes, τῶν παρέβλω, τί δ' ἔρεξα; τί μοὶ δεὸν οὐκ ἐτελέσθη;

Nos diligentiam iſtam pro virili adiuuabimus, ac pro more paucula de cœna Domini proponemus, idque ex Ioanne: ſequemur enim Euangeliſtarum ordinem, inter quos cùm ſit quartus ordine, meritò quartam lectionem hinc depromemus. Cur ex Ioanne.

Porrò negotium cœnæ Dominicæ diffuſiùs nobis proponit: etenim duo integra Argumẽtum.

capita 13. scilicet & 14. in eo argumento consumit. In quibus indicat, quid Christus in illa Cœna & fecerit & dixerit. Legalem cœnam adit cum discipulis, ex qua surgēs exemplo suo discipulis commendat inseruiendi studium, dum pedes illorum lauat. At vt constaret de facti ratione, longa & suaui interpretatione rem explicat. De Iuda proditore quoque non obscurè eos admonet, vt scirent in hoc negotio Christum nihil latere. Offert se quoque mediatorem inter Deum Patrem & homines: promittit enim non solùm Paracletum, sed etiam officium suum, quòd sit abiturus ad Patrem, paraturus illic mansiones.

Sunt illa omnia magno affectu ab Euangelista descripta: maiori verò ab ipso Christo proposita: maximo autem à nobis & legi, & expendi debent. Etenim hîc imprimis φιλανθρωπίας affectum, si alibi vnquam declarauit.

Πρόταsις. Πρόταsις videtur esse, singulari studio, dilectionem mutuam declarasse Christum, & suis commendasse in hac vltima Cœna.

Loci insigniores sunt in hac causa, cœnæ Dominicæ breuis connotatio, vt de tempore celebratæ cœnæ, vt causa institutionis. Secundus de lotione pedum, & eiusdem διεξοδικὴ ἑρμήνεια, quæ facti causam indicat.

Tertius

Tertius de proditore Iuda. Quartus cohortatio ad dilectionem mutuam, ex qua noua professio, & veri sectatores Christi cognosci debent. Quintus de officio Christi mediatoris, quod in eo consistit, vt ad Patrem abeat, tanquam legatus, & illic mansiones paret suis, qui sit docturus eos omnia.

Hæc diffusè & singulari diligentia duobus capitibus persequitur Ioannes, & hîc indicanda fuere, quandoquidem in hac ipsa vltima cœna omnia à Christo dicta fuere.

Nos de cœna ipsa agemus hîc, ex principio capitis decimi tertij, vsque ad eum locum, vbi surgens & positis vestibus lauare pedes discipulorum instituit.

Ante festum Paschæ, sciens Iesus, quòd venisset hora ipsius, vt transiret ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, vsque ad finem dilexit eos. Et Cœna facta cùm Diabolus iam immisisset in cor Iudæ Simonis Iscariotæ, vt proderet eum: sciens Iesus, quòd omnia Pater sibi dedisset in manus, & quòd à Deo exisset, vt ad Deum iret, surgit à Cœna, & ponit vestimenta: & cùm accepisset linteum præcinxit se deinde misit aquam in peluim, & cepit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

Hæc verba breuem connotationem cœ-

næ Dominicæ complectuntur, in qua explicanda hæc occurrunt.

Partes. Primum, quando à Christo sit instituta & celebrata: secundò, quare non celebrauit recepto tum tempore: tertiò, quæ sit institutæ cœnæ causa: quartò, quid in illa Christus egerit. De his ordine & breuiter agamus.

I. Quando sit instituta & celebrata intelligi potest ex eo, quod dicit Ioannes, *ante festum Paschæ*, illa omnia contigisse, quæ hic scripturus est, ideóque Christus cœnam quoque ante festum celebrauit.

Exod. 12. 13. Erat Pesach institutum in memoriam liberationis ex Ægypto, quòd scilicet Dominus potenti manu percussisset primogenita Ægyptiorum, Iudæorum autem familiis peperciſſet. Angelus enim Domini vltima nocte transibat per Ægyptum, percutiens vbicumque postes non reperisset aspersos sanguine hœdi. Hinc festum instituit Moses iubente Domino, in tanti beneficij memoriam, vt posteri scirent Angelum Domini illis peperciſſe & liberasse ex seruitute illa dura. Significat autem Pesach transitum, quod de Angelo propriè dicitur: trãsfertur autem ad Agnum Paschalem, & ad ipsum festum, quia symbola erant instituta *lezicaron*, hoc est, ad memoriam facti Angelici.

Deinde

Deinde ad tempora notam pertinet, quod Ioannes habet δείπνου γενομένου, hoc est, *Cœna peracta*, quasi in principio Cœnæ sint hæc gesta: sed potiùs respexit ad legalem cœnam, quam ex instituto Mosis celebrauit, qua transacta, surrexit Christus semel de mensa, loturus discipulis pedes. Hinc demum recumbens ad mensam, suam instituit cœnam. hæc simplex est & historiæ conueniens sententia.

Demum postquam diabolus immisisset in cor Iudę, vt proderet eum, qua occasione hoc factum sit, ex Marco 14. intelligi potest. Nam cùm vngeretur Christus à muliere, indignati sunt quidam ex discipulis, inter quos primarius Iudas fuit, aut fortè solus. Nam mox subiicit illum abiisse ad Pontifices, vt illum proderet. Iam igitur immisit Satan in cor Iudæ, vt hoc faceret: sed deerat adhuc iusta occasio, hanc ipse Dominus nunc est exhibiturus.

Nos hinc discamus, quàm studiosus fuerit legis Dominus: nam cùm Iudæi contrà legem seriùs tum celebrarent Pesach, Christus non cum Iudæis, sed vt Moses iusserat voluit celebrare, ideóque frustrà est, quod calumniantur illum, quasi legis contemptorem. Sed erat huius rei iustissima alia causa, quòd scilicet in hoc ipso festo magno

voluit immolari, cuius typum gesserat agnus ille Paschalis apud Mosen.

Deinde discimus hinc, cui cœna Domini successerit, Paschati scilicet: nam legali cœna finita instituit nouam, quod obseruauit etiam Cyprianus in sermone de cœna Domini. Cœna disposita inter sacramentales epulas, obuiarunt sibi instituta vetera & noua, & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis, ideóque nihil agunt, qui cœnæ alium typum quærunt, cui succesſit expresè, inquit Apostolus, Pesach nostrum immolatus est Christus 1. Corinth. 5.

Demum obserua hîc Iudæ conatum non fuisse nuperum, sed consilio & animo præmeditato pridem hoc molitum esse, idque singulari diaboli instinctu.

II. *Quare non recepto tempore.*

Celebrauit alia quoque Paschata hactenus Christus, plura sanè ante Baptismum: post illum verò cum discipulis ad minimum duo: nam cap. 2. ascendit ad Pascha, & cap. 6. iterum Pascha est, quæ sine dubio cum Iudæis celebrauit, vtvt concurrerent festa hoc

hoc iam suo celebrat more. Verùm causas non aliunde hîc afferemus, quàm ex ipso contextu: nam docet venisse horam eius, quod causæ loco hîc affert, quasi dicat, moriendum erat illi in hoc ipso festo, ídque nouit, quare præuenire illud momentum noluit.

Hîc vtile est considerare, quid de Christo prædicet, deinde quomodo de morte loquatur. Quòd Christum attinet, scit venisse horam suam: res magnæ est consolationis, cùm audimus, non casu, non inuitum etiam Dominum nostrum in has ærumnas mortis incidisse. Scit horam suam adhuc constitutus in corpore mortali, quantò ergò magis scit horam nostram in gloria Patris? 1. Scit horam.

Deinde scit & hoc, quòd *Pater tradidit omnia in manus suas.* Πάντα intelligamus totum mysterium salutis, quia vitæ & mortis plenam habet potestatem: non enim solùm mori debuit, sed habet potestatem restituendi vitam & animam. hoc sciens Iesus alacri animo ad mortem præparat. 2. Omnia sibi tradita.

Tertiò *scit etiam quòd à Patre sit egressus*, hoc est nouerat vocationem suam esse diuinam, quòd à Deo esset missus saluator mundi: deinde quòd ab æterno à Deo Patre natus esset, quod quidem factum est 3. Quòd à Deo venerit.

χρόνως ἢ ἀναλλοιωτῶς: aduentus verò in carnem, in tempore, officium etiam mediatoris in carne, de quo videtur loqui, quòd à Deo esset egressus.

4. Quòd ad Deū redit.

Quartò, *quòd ad Deum iret*, id magnificum est in persona Christi, hoc est, scit etiam, quòd per mortem & resurrectionem sit rediturus in gloriam Patris: non enim in morte detineri debuit, nec salus nostra perfici poterat, nisi resurgens viam in cœlos monstraret.

Atque illa in Christi sunt notitia, tanquam causa, cur maturiùs velit celebrare cœnam. Sed de morte, obserua quàm piè & modestè loquatur: primùm horam vocat, hoc est, certum voluntatis suæ, & diuinæ ordinationis momentum. Ne horam tu hîc intelligas fatale quiddam, quod ad mortem vrgeret etiam inuitum: sed quia Deus ita vult, ideo iam patietur.

Mors quid.

Deinde addit, *vt transiret ex hoc mundo*, hinc constitue mortis definitionem. Mors est hora vel momentum trāseundi ad Deum ex hoc mundo: aut mors est μετάβασις ἐκ τοῦ κόσμου τούτου. Vtraque definitio consolatoria est: si enim mors hora est diuini decreti, quam non licet præterire, ita in morte piis nihil mali est positum.

Sin mors constituatur transitus, & hoc de

de meliori conditione nos admonet. Non dissimilis est Socratis de morte sententia, qui vt se consolaretur contra horrores mortis, ait, mortem esse μετοίκησιν tantùm τῆς ψυχῆς, item ἀποδημίαν migrationem, λύσιν καὶ χωρισμὸν, quibus sanè aptissimè commẽdatur mors fidelium, quæ reuera tale quiddam est, nec aliud grauius.

Nos hîc expendamus, cur Christus hîc instituat cœnam, nimirum quia iam mori voluit: nam huc illa omnia respiciunt, vt intelligamus memoriam mortis imminentis Dominum vrgere, vt cœnam iustituat. Discamus ergò ad eandem nos præparare ob id ipsum, quia nobis moriendum est. Nam vt sit memoraculum mortis Christi: ita fidem alit fidelium, vt eò promptiùs & ipsi mortem subeant.

III. Causa institutæ Cœnæ.

Cùm aliæ sint multæ causæ Cœnæ institutæ solùm hîc meminit impellentis causæ, quò facit primùm quod diximus iam memoria mortis animo obuersans. Deinde quia *dilexit suos in hoc mundo, & quidem ad finem.* Primùm commendatur nobis Christi in nos dilectio: nam diligenter obseruari debet, quos respiciat illa dilectio. Suos,

inquit, hoc est, qui fideles sunt nomine & re: non enim amat hypocritas, nec sui sunt bilingues. Cogitemus igitur, vt simus de
Ioan. 3. suorum numero, ita nos concernet vis illa dilectionis. Pater quidem dilexit mundum, vt vnigenitum daret filium: sed quia tenebræ magis dilexerunt mendacium, quàm oblatam salutem, factum est, vt pauci in dilectione permanserint.

Deinde vide, qualis sit illius dilectio *in finem dilexit eos*, hoc est, perfecta dilectione: aut dilexit eos in finem, hoc est, vsque ad mortem, non quia tum desierit, sed quia constans mansit periculosis temporibus, multò firmior intelligi debet, solutis doloribus mortis. De hac dilectione Christi dici poterat, dilectio iustificat, quod perperam humanæ dilectioni accommodant Papistæ: nisi enim Christus in finem, hoc est, constanter nos dilexisset, nulla nobis reparata fuisset salus.

IIII. Quid in Cœna egerit.

Magna est doctrina huius loci: nam tum hoc capite 13. tum sequenti 14. complectitur narrationem rerum gestarum in cœna, ac nos illorum ferè capita iam sumus complexi: quò pertinet etiam hoc Domini factum

ctum de lotione pedum, cuius ſumma eſt. Facto & verbis teſtari ſingularem erga ſuos amorem. Facto, quia lauando humilitatis exemplum præbet, verbis, quia addit exempli vſum ſua interpretatione. Cæterùm præter hoc factum, huc pertinet etiam, quòd reſumptis veſtibus & recumbens ad menſam, cœnam ſuam inſtituit: nam voluit ſuos in ſui confeſſione ſingulariter confirmare, ne metu periculorum ab ipſo deficerent.

Porrò quare cœnæ inſtitutio hîc ſit omiſſa à Ioanne, probabile eſt, quod ſolet hîc afferri: ſcilicet, cùm ab aliis ſit luculenter & copioſè deſcripta, noluiſſe in eadem re occupari: cùm hoc videatur peculiare Ioannes habere, vt παραλειπόμενα ſcribat, nominatim ea, quæ ad diuinitatem Chriſti pertinent, paucis exceptis, quæ cum aliis habet communia.

Accedit quòd ſuprà capite 6. diffusè diſſeruit de ratione manducationis, quæ etiamſi ante inſtitutam cœnam contigere: tamen quomodo caro Chriſti manducari debeat, & ſanguis illius bibi dilucidè indicant. Quare in ea traditione maneamus, quam ſæpe iam in hac ſchola audiuiſtis. In cœna duo nobis exhibet, vnum externum, aliud internum: externa ſunt panis & vinum ſym-

bola, quæ alunt corpus, & repreſentant ſenſibus res alias. Interna ſunt ſanguis & caro Chriſti, quæ fide ſumimus: & vt fides minimè eſt ficta: ita corpus Chriſti minimè fictiuè ſumit, ſed verum amplectitur, ſedens in gloria Patris. Quomodo autem panis dicatur corpus Chriſti, & vinum ſanguis illius, indubitata eſt ſententia noſtra, ſymbolicè & ſacramentali modo, vt circunciſio dicitur fœdus Domini, velamen dicitur poteſtas, quam in capite habere debet mulier.

Itaque vera accedamus fide, & de modo ne ſimus nimium contentioſi, ne extra oleas currendo, amittamus veritatem. Rectè inquit Auguſtinus, Quid paras dentes & ventrem, crede & manducaſti.

LECTIO QVARTA DE Cœna Domini ex prioris ad Corinthios Epistolæ capite vndecimo.

Vers. 13. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, Dominum Iesum ea nocte, quæ proditus est, accepisse panem:*

14 *Et gratiis actis fregisse, ac dixisse, Accipite, edite, hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei recordationem.*

15 *Itidem & poculum postquam cœnasset dicendo, Hoc poculum est Nouum illud Testamentum per meum sanguinem: hoc facite quotiescunque biberitis ad mei recordationem.*

16 *Quotiescunque enim ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis, vsque quò venerit.*

17 *Itaque quisquis ederit panem hunc, aut biberit poculum hoc Domini indignè, reus tenetur corporis & sanguinis Domini.*

18 *Probet autem quisque seipsum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat.*

19 *Nam qui edit & bibit indignè, damna-*

tionem sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini.

MYsteria celebramus his diebus Christianismi, quibus orbis terrarum nihil habet vel maius, vel dignius. Hinc cœtus maiores & frequentiores facit populus, vt testetur amorem erga Christum, desiderium discendi, vt audiendo verbum Dei, paratior sit ad cœnam Domini. Nam in hac nostra mystagogia sunt hæc primaria, audire negotium redemptionis nostræ, repetere causa mortis Dominicæ, nostram deplorare sortem, propter quos Dei Filius mori debuit, ac cœnam, quam suis reliquit, pia mente celebrare.

Refert Athanasius in Apologia ad Constantium Imperatorem de Alexandrino populo, quòd tanta frequentia ad Pentecostes & Paschatis festa confluxerit, vt senes quidam, puellæ & pueri compressi, semimortui domum relati sint: diuina tamen clementia nemo ea his mortuus. Quo testatur peruetustam esse consuetudinem Ecclesiæ, vt

in

in solennitatibus mysteriorum Christi frequentiores fiant cœtus.

Et quanquam in nostris fortè non sit tantus ardor, non per studium, non eadem etiam cura: tamen gratias Deo debemus, qui hos cœtus nobis conseruauit, dandáque opera, vt nostro studio & opera auctiores reddantur. Quod fiet, si iuuentus præsens, rectè imbuta in his mysteriis, partes suas in frequentando & audiendo verbum Dei, obierit studiosè. Hanc diligentiam iuuabimus, quoad fieri potest, ideóque hunc Apostoli locum breuiter explicamus, vt paratiores ad hanc rem reddamur.

Docuerat D. Apostolus Corinthios per sesquiannum, vt est videre in Act. 18. quo tempore summam veræ religionis explicuit, vsum & sacramentorum addidit. Ac de Baptismo coniectura sumi potest ex prima Epistola cap. 1. vt fatetur se Caium & Crispum Baptizasse, & familiam Stephanæ. De cœna verò hinc coniectura depromi potest, quia quod illis tradiderat in hac re testatur accepisse à Domino. In his erant etiam alij mores, vt communio bonorum, vt est Act. 2. Communes epulæ & similia, quæ tanquam per ἀποῤῥοιαν ad eos defluxerant. Verùm vt fieri solet, absente Apostolo, has res multis contaminauerant modis, hoc in-

Argumẽtum.

telligens Apostolus, Ecclesiæ illi absens etiam non defuit: sed per Epistolam corrigit hîc nominatim illos errores, qui in vsum cœnæ irrepserant, eósque reuocat ad primum suum institutum, vt sciant, quomodo in ipsa cœna res sit peragenda. Sed operæpretium fuit etiam admonere quid facta cœna piis faciendum sit, ideóque de prædicanda morte Domini admonitionem necessariam addidit, similiter etiam, quo animo accedendum sit vt scirent, quid illis faciendum esset, ante cœnæ vsum: oportet enim in his actionibus certo modo paratis & expiatis animis accedere. De his omnibus studiosè & piè suos Corinthios admonet.

Ex quibus hanc constituamus sententiam tanquam scopum & πρόταση̃ν D. Apostoli, ad quam animos vestros intendite.

Πρόταση. Corinthiis non priuato arbitrio, sed ad institutum Apostoli cœna Domini celebranda fuit religiosè & cautè. Hæc propositio mentem Apostoli probè exprimit, & insuper inseruit distributioni.

I. Ostendit, quomodo ipsō priuato iudicio cœnam hanc celebrarint, nimirum ita, vt alias publicas commessationes, quod sanè in hac re sacratissima non licebat, ideóque hac in parte grauiter eos reprehendit.

II. Quo-

II. Quomodo ad institutum Apostoli debuerit celebrari, & cur tantopere hoc institutum vigeat, nimirum quia Dominica est traditio: qua occasione formulam institutionis repetit ipsius saluatoris verbis.

III. Quomodo etiam religiosè ab illis celebrari debeat, mortem Domini annuntiando, significans, quales à cœna discedere debeant, non ebrios vino, sed ebrios Spiritu sancto, vt fiant præcones mortis Dominicæ.

IIII. Vt cautè quoque accedant ad hanc synaxin docet, quò pertinent illa, quæ de probatione priuata subiicit. Hæc quatuor sunt in loco Apostoli, quæ complexi sumus breui propositione, 1. Non priuato arbitrio 2. ad institutum Apostoli, 3. religiosè. 4. cautè quoque, quæ sic appellabimus. 1. ἁμαρτήματα, 2. παράδωσιν, 3. καθῆκον, & 4. δοκιμασίαν.

I. Ἁμαρτήματα.

Dixi de argumento propositionis, ac partibus, iam animo ad contextum conuertite, vt appareat, quomodo hæc ex præsenti loco possint doceri.

I. Error in eo est, quòd non εἰς κεῖτλον, ἀλλ' εἰς πῖτλον conuenirent, quod est, non me-

liores reddi ex cœnæ vſu: accedebant enim auari, ſuperbi, litigioſi: libidinoſi, tales etiam recedunt, ac perdurant in vitiis aſſuetis, quod ſanè eſt in deterius accedere, res illorum in dies priores fiunt, peccato magis magíſque ſeſe onerant. Exemplum ſume in Corinthiis, libidinoſos arguit locus 1. Cor. 5. cùm ſcortatio eis obiicitur, & nominatim, quòd in ſe ferant inceſtum. Litigioſi verò ſunt 1. Cor. 6. adeò vt etiam litigent coram Ethnico magiſtratu. Scortationem etiam in ipſis notat publicum prouerbium, Corinthiari, quod in eorum ſcorta & libidinem taxandam excogitatum eſt. Vt molles Simonides quoque vocauit. Κορινθίοισι οὐ μέμφεται τὸ ἴλιον. Adde teſtimonium hîc eſſe ebrietatis, quòd infrà dicit, vnus eſurit: ebrius eſt.

Ita quidem illi conueniebant non εἰς κρεῖττον, αλλ' εἰς τὸ ἧττον, hoc eſt, deteriores in dies euadebant. Sic Chryſoſtomus explicat οὐ προβαίνεται εἰς ἀρετὴν, hoc eſt, non facitis progreſſum in virtutem.

Deinde hoc nomine quoque in peius conueniunt, quòd facerent hoc cum offendiculo aliorum: nam illorum exemplo proximus iuuari & ædificari debebat, nomen etiam Domini laudari, & Euangelium cohoneſtari, cùm potiùs contrà fiant omnia, illo-

illorum petulantia & ἀταξία.

Cogitemus ergò, quomodo nos in melius, & non in deterius conueniamus ad hanc Domini cœnam, si scilicet meliores inde reuertamur, si exemplo & vitæ emendatione alios ædificemus. Huc pertinet, quod de Euceniis celebrandis & ornandis inquit Nazianzenus χθὲς ἦσθα θεατὴς κὸς, heri fuisti theatri spectator, hodie sis θεωρητικὸς, hoc est Dei contemplator. Heri fuisti λοίδορος conuitiator, hodie εὔφημος bene loquens, etiam de inimicis. Heri fuisti κωμαστής, id est commessator, hodie sis σωφρονιστής, id est sobrius: Heri eras οἰνοπότης vinibibulus, hodie sis ὑδροπότης, aquæbibulus. Ita quidem εἰς τὸ κρεῖττον, & non εἰς τὸ ἧττον conueniemus.

Magna olim gloria Gorgias Leontinus profitebatur, quòd λόγον ἥττονα posset reddere κρείττονα, hoc est, ex causa deteriore meliorem. Maior Christiani hominis in hac re est gloria & laus, si βίον ἥττονα vitam deteriorem, faciat κρείττονα meliorem, in quam rem debemus studiosè incumbere.

II. Error est, quòd scismata & hæreseis inter sese alant, hoc est, dissidia & sectas. De schismatibus diximus apud Ioannem cap. 7. Hic expende schismata Corinthiorum, primùm alebant illa ex doctorum

æmulatione, 1. Cor .1. Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego verò Petri, ego Christi: nam cum Paulo ibi docuerat Apollos, & qui ex Iudæa venerant doctrinam à Petro audiuerant: ita ex doctorum nominibus instituebant sectas, vt pauciſſimi eſſent qui Chriſti dicerentur eſſe.

Deinde ex præſtantia donorum arrogantiam ceperant, vt ſeſe inuicem contemnerent, adeò vt mulieres etiã inter eos aperto capite incederent, & docendi munus ſumerent. Hinc graue præceptum. 1. Cor. 14. Mulieres veſtræ in Eccleſia ſileant, velatæ vt ſint, etiam hoc ipſo capite præcipit.

Demum in articulis fidei manifeſtæ ſunt hæreſes apud eos: nam reſurrectionem quidam negabant, 1. Cor. 15. Quòd ſi Chriſtus prædicatur reſurrexiſſe à mortuis, quomodo dicũt quidam inter vos reſurrectionem non eſſe?

Nos etiam obſeruemus, quomodo hodie negotium cœnæ ad ſchimata faciat, à multis contentioſè tractatur & explicatur hic locus, vt videantur data opera velle ſchiſmata defendere. Alij etiam in reliquis non ferunt moderatas & iuſtas negotij explicationes, niſi diris inuectiuis & anathematiſmis aduerſariæ partis etiam conſtent. Hoc non eſt ſepelire ſciſmata, ſed tueri & defende-

fendere. Qui ad commune incendium concurrunt, non faciunt boni viri officium, si incendio materiam suppeditent: sed omnibus modis subtrahenda est flammis occasio vlteriùs grassandi, quod optimi ciues solent facere. Ita sanè cordati ministri erat dissidiis finem imponere, & occasiones præscindere: satis longè latéque incendium sacramentarium depopulatum est Ecclesiam, & quis tandem finis, nisi ministri hoc inceperint sepelire?

Peccant in hac parte principes & magistratus, qui alios damnant & armis inuadunt, eo nomine, si non idem profiteantur in hac causa, quod ipsi, consensus non ita obtinebitur. Summa est, negotium cœnæ occasio nobis esse debet ad consensum, ad concordiã & pacem. Sic. 1. Cor. 10. Omnes de vno pane participamus: par igitur est, vt omnes vnum simus in Christo.

III. Ἁμάρτημα est, quòd ex Dominica cœna fecerint priuatam ἕκαστος, inquit ἴδιον δεῖπνον προσλαμβάνει. Assueti erant Græci epulis communibus, quales Spartani à Lycurgo acceperant, vt scilicet ciues frugaliùs viuerent, maiori familiaritate & concordia coalescerent. Cùm igitur D. Paulus cœnam institueret apud Corinthios, videbatur multùm abesse à Syssitiis Laconicis,

ideóque faciliùs mos poublicè epulandi recipici poterat: sed quemadmodum Syssitia in luxum abierunt Spartis, ita Agape Christiana apud Corinthios. Porrò communes fuisse Christianis epula in Agape, videre est. Act. 2. & apud Tertull. in Apologet. cap. 39. vbi inquit, cœna nostra de nomine suam rationem ostendit, dicitur ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos est, inopes quosque isto iuuamus refrigerio, nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur, editur quantum esurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis satis est. Hic mos diu mansit inter fideles: sed considera quomodo mox apud Corinthios sit deprauatus.

Primùm δεῖπνον κυριακὸν, hoc est, commune conuiuium faciunt priuatum, cùm tamen ἀγαθὰ δίαιτητικὰ debeant manere communia, & non in priuatos redigi vsus. Deinde hæc priuata conuiuia præoccupant, hoc est, ita instituunt triclinia sua, vt alios excludant, quod intelligi potest primùm de cibis allatis, quasi dicat, quilibet quod attulit in commune, hoc ipso frui vult suo iure, quasi in propria domo. Hoc modo perstringuntur ditiores, qui licet bene instructas afferrent mensas: faciebant tamen hoc non cum pauperum vtilitate. Deinde po-

test

test iutelligi, quòd à iure communionis arcerent reliquos omnes : singuli verò hîc dominari cuperent, & pares cum paribus congregari, alios non curarent in suis triclinijs.

Deinde hîc aliud incidit vitium, ebrietas, quo modum non seruant in summa inæqualitate, *alius esurit, alius ebrius est* : non enim contentus est dicere, alius esurit, alius verò satur est, quæ contraria fuissent, sed excessum indicat.

Tertiò ad contemptum Ecclesiæ facit, *en Ecclesiam Dei contemnitis*, finem indicat: quò faciat illorum commessatio, ad contemptum scilicet Ecclesiæ. Theophyl. & ante illum Chysostomus, ad locum referunt, quasi dicat ipsi loco fit iniuria, in quo cœtus fiunt, ac si hodie dicas templum ipsum lapideum contaminatur. Verùm Ecclesiam Dei hîc malo de piis intelligere: nam hos contaminatores sacrorum ita extra Ecclesiam ponit, vt ad modestiam redigat.

Quartò accedit manifestus pudor pauperum : nam hîc patebat, quis nihil attulisset, quis pauper, quis diues esset. Erat autem agape ob id inducta, vt pauperes à ditioribus acciperent, vnde possent viuere, quod hîc negligitur.

Hodie error hic frequens est: nam in cœna Domini in Papatu vnus sacrificus edit, reliquis spectantibus, vt non possis immeritò dicere, non licet hîc cœnam Domini edere, quilibet enim propriam præoccupat cœnam.

Tres illi errores sunt non pœnitendi, magnum est in deterius conuenire, maius schismata alere, maximum cœnam Domini communem, priuatam reddere.

II. Παράδωσις.

His erroribus opponit suam institutionem, à qua non debuerunt recedere. Ac si quæras, cur tantopere vrget institutionem illam? parata iam est: *Nam accepi à Domino, quod tradidi vobis.* Argumentum sic colligit, in cœna Domini solius Christi debet seruari formula: sed mea illa institutio vobis relicta, hanc ipsam formulam complectitur: ergò in hac debuistis manere.

Patris. Deinde subiicit hanc Domini formulam, in qua duo sunt: nam partim de pane, partim de poculo loquitur. De pane agens, Considera primùm quid Christus faciat, *accipit*, deinde *gratias agit*, tertiò *frangit*, quæ omnia de more patrio sumpta sunt: nam in agni Paschalis esu, senior illa facere solet accipit panem adiunctis precibus benedi-

dicit

dicit, ac distribuit.

Cæterùm quid Christus gratias egit? nimirum pro misericordia mortalium generi exhibita, quòd redemptionis hostia adesset, precibus suis Deo Patri Ecclesiam commendans.

Fractio autem distributioni inseruiebat, alij ad mortificationem referunt, cuius quidem hic typus fuit & vmbra, reuera tamen fractio in Christi corpore non habuit locum, quemadmodum etiam in agno Paschali.

Dicit autem, primùm iubet accipere, deinde edere, tertio ἐκθέσει rem explicat, *hoc meum est corpus.* Obseruent studiosi τοῦτο subiectum esse, reliqua prædicato annecti μοῦ ἔστι τὸ σῶμα, hoc est, ἔστι τὸ σῶμά μου. Ac rectè explicatur per metonymian, qua signum, vt sacramentum corporis sui dat: corpus tamen suum appellat, non tamen inane signum est, quia fides non nititur inanibus hîc, & habet verbum Dei annexum. Modum autem si quæras, respondemus spiritualem esse, coniunctionem si petas, dicimus sacramentalem esse: nec est quòd contentiosè locum hunc diuexemus.

Quartò finem indicat, *hoc facite in mei commemorationem*, hîc facere quidam accepere pro sacrificare, quasi dicat, hoc sacri-

ficate, hoc est, offerte Deo Patri, quod gloſſema ineptum est. Alij ad omnia ſuperiora referunt, hoc facite, quid? quod me vidiſtis facere, accipite ſic & frangite, ac inter vos diſtribuite: ſed non ſatis continua est interpretatio: nam in altera ſacramenti parte, quoque repetit hoc facite, cùm tamen ad fractionem non poſſit referri, ideóque ſimplicior & verior est ſententia, vt *facite* ad ſuum copulatum referamus. *Hoc facite*, hoc est, cœnam celebrate in mei commemorationem: ſententia enim Domini est non in alterius nomine hunc ritum esse repetendum, ſed in ſaluatoris Chriſti ſolùm nomine, nec ad fractionem voluit hîc nos ligare.

De poculo eodem modo loquitur, explicat poculum, *Nouum Teſtamentum est in mei ſanguine*, Aperta est hîc ſynecdoche, nam poculum pro vino dixit, & vinum ſymbolum erat ſanguinis, vt ſuprà panis corporis. Deinde memoriam ſui repetit, *hoc facite*, hoc est, celebrate, ne ad fractionem reſtringas, *in mei commemorationem*: voluit enim ſui memoriam apud nos esse frequentem, ideòque ſacramentum etiam hoc in crebro vſu.

III. Καθῆκον communicantium.

In celebratione formula Chriſti ſeruan-

da

da est, quam Apostolus Corinthiis tradiderat. Nunc quid post communicationem seruandum est? *Mortem Domini annuntiate, donec venerit.* Primùm mortem Domini annunriare debent auditores, qui communicant, hoc est, læti redire, & Christo gratias agere, pro beneficio hoc, mortem illius annuntiare, hoc est, laudare, commendare, diuulgare, longè latéque spargere vt multis innotescat. Sic Christus promittit mulieri Matth. 26. quòd factum illius prædicandum sit, vbicunque doceretur Euangelium hoc. Deinde annuntiari debet etiam à ministris, vt intelligas cœnam sine concione non esse habendam: debet enim coniuncta esse cum doctrina, vt auditores rem intelligant.

Deinde addit, donec venerit significans in hac vita cœnæ vsum esse, qui post hanc vitam desiturus sit, & iugem sine intermissione prædicandam mortem Domini, quia nondum venit. Obserua etiam panem & poculum manere post consecrationem, cùm Apostolus eadem repetat nomina.

Religiosè sic debet agi cœna Domini: sed cur hoc? Ratio est, à pœnarum magnitudine, quas incurrunt incauti hoc loco. *Itaque quisquis*, inquit, *ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corpo-*

ris & ſanguinis Domini.

Hîc duo quæri ſolent, primum, quid ſit *edere & bibere indignè* : alterùm eſt, quid ſit *eſſe reum corporis & ſanguinis.* Quòd prius attinet, ἀναξίως edere & bibere non intelligamus, vt prophani homines ſolent, qui rem fœdam & indignam iudicant cœnam Domini : nam hoc repugnat ſententiæ Apoſtoli.

Deinde : indignè etiam non ad virtutum penuriam pertinet : non enim vult nos poſſe nos ipſos eo ſacramento dignos reddere, cùm omnes peccatores ſimus, nec etiam ad veſtitum & habitum : quòd referat hoc vel illo habitu accedere. Sed indignè ἀναξίως ſumunt ex ſuperioribus, primùm qui non in melius accedunt, deinde qui ſchiſmata in ea alunt, tertiò qui priuatam faciunt, quartò qui formulam Chriſti mutant, adde qui indecenter, immodeſte accedunt, non perpendunt negotij magnitudinem, quod faciunt ἄθεοι, impœnitentes & ſimiles. Hinc dignè edunt & bibunt, qui piè accedunt, cum emendandi propoſito, cum fide & ſpe.

Quomodo ergò, *rei ſunt corporis & ſanguinis Domini?* hoc eſt, pœna debent, Chryſoſtomus rectè explicat μηδὲν ἐντεῦθεν καρπούμενος, quia nullum hinc aufert fructum, deſpicit pauperes, ſymbolis abutitur, ἄτοπα

alia

alia committit. Reus igitur est, quia non accedit secundum institutum Domini : adde, quia tales fide carent, & quanquam symbolis isti solùm fruantur (quantum enim quisque fidei huc adfert, tantum accipit)tamen rei sunt,quia in leges cœnæ peccant.

IIII. Δοκιμασίας

Quid in cœna & post cœnam sit faciendum hactenus docuit, supereſt vltima admonitio,quæ docet,quid nobis ante cœnam sit faciendum, vt dignè accedamus, pertinent illa ad quartum propositi nostri institutum,quo diximus cautè quoque celebrandam. Quomodo ergò cautè celebrabimus? *Probet autem homo seipsum: & sic de pane illo edat,& de poculo illo bibat.*

I. Δοκιμασία examen hîc intelligatur,& hominis iusta censura, quæ priuata est & publica,publicam hîc non commendat,quia de alterius corde nemo iudicat facilè, nisi ipse Deus,qui est καρδιογνώστης.

Priuata autem censura vtiliſſima est, quòd conscientia sit in quolibet oculatiſſima,hinc Chrisostomus ait ἀμάρτυλον illius esse ἔλεγχον. Hinc passim probatur Socratis illud γνῶθι σεαυτὸν: ita Apostolus hîc iubet ἑαυτὸν probare, non alium,ex quo intelligimus eos

ris & sanguinis Domini.

Hîc duo quæri solent, primum, quid sit *edere & bibere indignè*: alterùm est, quid sit *esse reum corporis & sanguinis.* Quòd prius attinet, ἀναξίως edere & bibere non intelligamus, vt prophani homines solent, qui rem fœdam & indignam iudicant cœnam Domini: nam hoc repugnat sententiæ Apostoli.

Deinde: indignè etiam non ad virtutum penuriam pertinet: non enim vult nos posse nos ipsos eo sacramento dignos reddere, cùm omnes peccatores simus, nec etiam ad vestitum & habitum: quòd referat hoc vel illo habitu accedere. Sed indignè ἀναξίως sumunt ex superioribus, primùm qui non in melius accedunt, deinde qui schismata in ea alunt, tertiò qui priuatam faciunt, quartò qui formulam Christi mutant, adde qui indecenter, immodestè accedunt, non perpendunt negotij magnitudinem, quod faciunt ἄθεοι, impœnitentes & similes. Hinc dignè edunt & bibunt, qui piè accedunt, cum emendandi proposito, cum fide & spe.

Quomodo ergò, *rei sunt corporis & sanguinis Domini?* hoc est, pœna debent, Chrysostomus rectè explicat μηδὲν ἐντεῦθεν καρπούμενος, quia nullum hinc aufert fructum, despicit pauperes, symbolis abutitur, ἄτοπα

alia

alia committit. Reus igitur est, quia non accedit secundum institutum Domini : adde, quia tales fide carent, & quanquam symbolis isti solùm fruantur (quantum enim quisque fidei huc adfert, tantum accipit)tamen rei sunt, quia in leges cœnæ peccant.

IIII. Δοκιμασίας

Quid in cœna & post cœnam sit faciendum hactenus docuit, superest vltima admonitio, quæ docet, quid nobis ante cœnam sit faciendum, vt dignè accedamus, pertinent illa ad quartum propositi nostri institutum, quo diximus cautè quoque celebrandam. Quomodo ergò cautè celebrabimus? *Probet autem homo seipsum: & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat.*

I. Δοκιμασία examen hîc intelligatur, & hominis iusta censura, quæ priuata est & publica, publicam hîc non commendat, quia de alterius corde nemo iudicat facilè, nisi ipse Deus, qui est καρδιογνώστης.

Priuata autem censura vtilissima est, quòd conscientia sit in quolibet oculatissima, hinc Chrisostomus ait ἀμάρτυρον illius esse ἔλεγχον. Hinc passim probatur Socratis illud γνῶθι σεαυτὸν : ita Apostolus hîc iubet ἑαυτὸν probare, non alium, ex quo intelligimus eos

ad cœnam non esse idoneos etiam, qui se probare non valent, hinc infantes & pueri, iuuenes etiam non bene instructi admitti non debent, cùm seipsos probare non possint.

Deinde consistit illa proba in his ferè capitibus: primum, quantum cognitione profecerim, res enim & negotium cœnæ intelligi debet, quid sit, ad quos pertineat.

Deinde qualis mea in his sit fides, hoc est, quantum Christo fidam, quantum illi tribuam an pro saluatore agnoscam seriò & putem illius mihi sufficere meritum.

Tertiò quantum velim etiam illius nomine præstare, quantum proximo velim ignoscere, an mores possim emendare, an displiceat vita acta.

Demum quantum etiam possim, ac in facultate meritò nobis est desperandum, nisi ad Christi recurras auxilium. Satis igitur in præsens sit, piam & constantem voluntatem domino offerre piè & honestè viuendi: in facultate autem illius imploremus auxilium, vt infirmitati nostræ succurat. Ista in δοκιμασίᾳ satis esse iuuentuti possunt.

Apostolus repetit hîc superius argumentum, vt in metu Corinthios retineat, *Iudicium sibi sumit*, hoc est, res illi cedet in

pœnas

pœnas. Hîc temporalis illum consequitur pœna, ac nisi emendet se, tandem non aberit æterna quoq; pœna. Ratio est, *quia non diiudicat corpus Domini*, hoc est cœnam Domini, & panem hunc, vt prophanum habet, epulum hoc non distinguit à Græcorum Syssitiis.

Probemus ergò nos hodie, quia communicaturi sumus cras, imitemus Apostoli consilium, nostras excutiamus manticas, ne more hypocritarum festucas colligamus ex alterius oculis, trabes autem in nostris negligamus. Idem nos facere iubet Apostolus. 2. Cor. 13. Vos ipsos tentate, an sitis in fide, vos ipsos probate, annon cognoscitis vosmetipsos quòd Iesus Christus in vobis est?

Et in præsenti loco mox subiicit, si nos ipsos iudicassemus, haud quaquam iudicati fuissemus. Hoc vt faciamus seriò & ex animo, det nobis Dominus Iesus Christus Amen.

LECTIO QVINTA DE cœna Domini ex prioris ad Corinthios Epistolæ capite vndecimo.

*

Vers. 24. Et gratiis actio fregit, ac dixit: Accipite, edite, Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei recordationem.

Πρότασις.

QVI sacra adituri sunt, ad ista duo imprimis debent respicere, Primum vt instituti sui expressum habeant verbum Dei. Etenim hîc, non vt in politicis rebus & vita communi, liberæ sunt actiones. Hinc populo Dei nullum cultum Diuinum licebat exercere, qui priùs non lege expressa constitutus esset: & Prophetæ passim ad verbum Domini reuocant. Alterum vt excussa sit voluntas, ne temerè & impurè sacra accedamus: nam sic magis obsunt quàm prosint. Inde Habacuc rectè de se dicit, dum pararet sese ad voluntatem Domini percipiendam, Super custodiam meam stabo, & speculor vt videam quid mihi loquatur Domi-

Habac. 2.

nus,

nus, & quid respondeant ad corruptionem mei.

Opinor vos intelligere quid velim. Accessuri sumus mysticam Domini mensam, quæ vos de beneficis Christi admonet. In hac actione respicite igitur ad ista duo, verbum Dei, inquam & vestram voluntatem. Verbum expressum habet mandatum: quod mentes erigit & confirmat, hunc ipsum cultum placere Domino; Voluntas verò cuique dictabit, quo fructu velit accedere. At debet hic excussa, & probè examinata esse mens nostra, vt voluntatem regat ad sui censuram. Nam stipulamur hic nouam vitæ emendationem, nouo charitatis vinculo nos nobis inuicem obligamus, Christo quoque ipsi nos coniungimus. Applicatio ac minor propositio. Λυσις.

Ac ne fallamur hac in causa, scire debemus triplex esse genus communicantium: Alij accedunt ad salutem, πρὸς πλὴν σωτηρίαν, quibus reuera hoc epulum est ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου, hoc est, viaticum vitæ æternæ: alij sumunt cœnam Domini ad iudicium, πρὸς κρῖμα, hos dicit Apostolus indignè edere & bibere de mensa Domini. Alij demum sumunt ad condemnationem: nam indignorum duplex genus est: quidam indigni sunt, qui καταδέονται & deinceps discunt dignè sumere, quidam verò indigni semper ma-

nent, qui nulla castigatione Domini emendantur, hi sumunt ad condemnationem, εἰς κατάκριμα.

Quare etiam atque etiam considerate, quo fine quisque velit accedere. Ac dubium non est, quin singuli mysticum hunc panem cupiant ad salutem percipere. Consequens igitur fuerit vitam probè emendare. Qua in re velim vos vehementer esse Pythagoræos, cuius celebre est dictum, σὺ παρέλιπες; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; hoc est, Excessi quidnam? deliqui? quid vel omisi? Aut magis Christiani simus: dixit enim Christus Matth. 5. Si munus tuum ad altare attuleris, & recordatus fueris quòd frater tuus aliquid contra te habeat, relinque ad altare munus tuum, ac abi, & reconciliare priùs fratri.

Itaque stemus & nos super custodiam nostram, & audiamus quid nobis loquatur Dominus, & quid responsuri simus ad corruptelam vitæ nostræ.

Argmẽtum. Ac quòd Cœnam Domini attinet, verbum Dei profert Apostolus, vt corrigat abusum, qui irrepserat, ac diligenter ad primam institutionem reuocat. Summa est: Apostolus Domini verbis sacrum hoc nobis commendat ab authore, à forma, tempore institutionis, materia, fine, vsu, & abusu,

abusu, quæ singula suis locis explicantur.

In præsentia ex toto contextu, illam periodum solùm delegimus, τοῦτό μού ἐστι τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον, nec fecimus id sine certa & graui ratione. Propositio.

Nam in hoc commate, fundamentum totius negotij consistit: quo nisi rectè intellecto reliqua vix probè intelligentur. Αἴτιον.

Deinde reliqua verba satis plana ac perspicua sunt, quicquid obscuritatis in eo negotio hîc latere videatur. Præterea hîc contentionis totius cardo vertitur. Quare iudicaui necessarium esse, vt iuuenes certum ac peespicuum huius loci haberent intellectum. Hunc quoad fieri potest proponemus diluta & facili oratione: quod vt intelligatis apertiùs, hoc vtemur ordine. Partes.

Primò ostendemus, quis sit genuinus verborum ordo in hac propositione, *Hoc est corpus meum:* nam contentionum ardor variam peperit in his constructionem. Deinde quomodo panis sit, & dicatur corpus Domini. Tertiò cùm panis symbolicè sit corpus Domini, quomodo Christus suæ cœnæ adsit, & fidelibus quoque communicantibus. De his quo ad fieri potest, breuiter, & dilucidè agemus.

Quòd ordinem verborum attinet, quadruplex discrimen reperio. Tres priores

sententiæ in eo consentiunt, quòd in propositione hac, τοῦτο, subiecti loco ponant & interpretantur. Quarta in totum ab istis discrepat: nam τοῦτο prædicatum esse contendit, & τὸ σῶμά μου, transfert in locum subiecti.

Vera sententia, hoc scil. hic panis est corpus meũ.

Prima sententia verissima est, ab hac ergò ordiamur: debetur enim in omnibus priuatus veritati, τοῦτο scilicet hic panis, quem vobis offero, hic, inquam, panis est corpus meum. Nam pronomen τοῦτο resolui debet, vt in aliis multis locutionibus in id quod demonstrat, demonstrat autem panem: quare in ordinanda sententia sic resolui debet: τοῦτο, hoc est ὁ ἄρτος οὗτος. Huc facit quòd eadem verborum collatio tam diligenter seruata est apud Matt. 26. τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου & de sanguine τοῦτό γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου. & Mar. 14. λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σωμά μου, & de sanguine ibidẽ, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. Lucas quoque capite 22. collocationem hanc seruauit, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου. Retinenda igitur est naturalis verborum collocatio. Certissimum enim est, demonstratiuum referri ad id quod offert. Hinc illud nectitur argumentum. τοῦτο quid denotat? id quod acceperunt discipuli. Quid illi acceperut? quod obtulit Dominus. Quid obtulit? quod priùs ipse acceperat. Quid

acce-

acceperas? panem. Ergò panem indicat particula τοῦτο. Hæc vera & perſpicua eſt ſententia. Altera ſententia eſt eorum, qui τοῦτο non referuntur ad id quod offert Dominus diſcipulis: ſed ad ſeipſum ſedentem in eadem menſa. Secundùm hos aliud obtulit, & aliud monſtrauit. Obtulit panem myſticum, & monſtrauit ſuum corpus, ſedens in menſa: quaſi dicat, accipite hunc panem, hoc enim quod hîc ſedet vobiſcum, eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur ſed argutior viſa eſt hæc ſententia, quàm vt aſſenſum conſequeretur: diſplicuit etiam lectoribus ipſis vtrinque in contẽtione huius negotij.

Tertij ita interpretantur propoſitionem, *hoc eſt corpus meum*, id eſt, hic panis quem videtis & corpus meum inuiſibile, eſt corpus meum. Scholaſticorum hæc doctrina fuit, qui propoſitionem vocarunt identicam. Dicitur identica propoſitio, quæ per eoſdem terminos fit, vel idem ſignificantes, καὶ τὸ τοῦτο: hinc ταυτότης, cùm idem de ſeipſo dicitur. Porrò à parte ſubiecti, coniunctam conſtituunt, vt ſeruent naturam panis. Alij ſimplicem vtrinque fecerunt: ac per panem nihil aliud monſtrari, quàm quod in prædicato explicatur. Ita quidem μετουσία ſtatuitur, quam vt vitarent poſteri συμπε- Tertia identica propoſitio.

πλεγμένον ὑποκείμενον dixerunt esse. Sed nec sic consistit sententia illa, cùm Christo affingant duplex corpus, vnum visibile, de quo loquitur prædicatum alterum inuisibile, quod in subiecti explicatione coniungunt pani.

Quarta sententia à superioribus prorsus varia: nam sic ordinant illi propositionem hanc, τὸ σῶμά μου ἐστὶ τοῦτο. vt subiectum sit corpus: prædicatum verò voce τοῦτο indicetur, vt sententia sit, Meum corpus est panis scilicet cœlestis. Videntur illi aliquid dicere: nam rogati, has suæ sententiæ proferunt rationes.

Primùm confugiunt ad articulum posteriori membro adiectum, qui aliàs solet subiectum indicare, vt in illo Ioannis θεὸς ἦν ὁ λόγος. Posterius subiectum est, propter articulum: Deinde aiunt idem hîc dici, quod Ioannis ὁ σὰρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις: ibi sanè ἡ σὰρξ subiectum est, quod illi per σῶμα hîc explicant, & βρῶσιν per τοῦτο. Demum his addunt authoritatem Epiphanij, qui dicit τοῦτό μου ἐστὶ τὸ ὅ.

Λύσις. Sed nos hisce respondemus non huc pertinere. Nam quòd regulam de articulo attinet, dicimus veriſſimam quidem esse, & vtilem in multis propositionibus: attamen non quilibet articulus subiectum monstrat, cùm

sæpe

sæpe & subiecto, & prædicato sit additus. Rem paucis declarabimus. Articulus vel vnus est in propositione seruátque naturalem verborum collocationem, vt 1. Ioannis 4, ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστι. Deus est dilectio. 1. Ioan. 3. ἡ ἁμαρτία ἐστιν ἀνομία, peccatum est iniquitas. Rom. 7. ὁ νόμος ἁμαρτία ἐστι. In his facilis diiudicatio de articulo, cùm natiua sit verborum series, & articulus subiecto naturaliter addatur. De prima regula.

Aut vnicus quidem est articulus, sed ex traiectione est mutatus verborum ordo, vt Ioan. 1. θεὸς ἦν ὁ λόγος. Ioan. 4. πνεῦμα ὁ θεὸς, Spiritus est Deus. In his & similibus vtilis natura articuli: nam veram constructionem indicat, & ipsum subiectum monstrat, vt sic ordinetur sententia. ὁ λόγος erat Deus: & ὁ θεὸς est Spiritus.

Aut vtrinque positi sunt articuli, hoc est, additur tam subiecto, quàm prædicato, vt 1. Corinth. 15. τὸ κέντρον τοῦ θανάτου ἡ ἁμαρτία. Ibidem δύναμις δὲ ἁμαρτίας ὁ νόμος: vbi difficilior est diiudicatio, attamen sagaci ingenio notus erit sensus, vel ex eo quòd posteriores voces consequutiuè ponuntur, de quibus prædicatur suus effectus, vt in priore, ἁμαρτία, peccatum causa est mortis. Itaque illic posterior articulus monstrat verba mutata & sic ordinanda. ἡ ἁμαρτία est

stimulus mortis.

Eodem pacto in posteriore propositione, ὁ νόμος est vis peccati: nam lex causa est monstrans peccatum. Prædicantur igitur effectus proprij hîc de suis causis.

Contrà Ioannis 1. scribitur ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων prior articulis hîc subiectum monstrat, quia de Domino loquitur, qui est ζωὴ: reliqua prædicatum supplent, Specialia semper subiiciuntur, generalia prædicantur, nisi vbi idem de seipso dicitur.

Ex his iam patet dissimile esse quod illi asserunt: θεὸς ζωὴ ἁλάτος, quæ propositio regulæ optimè quadrat: sed nostræ huic propositioni dissimilis est. Nam nostra vtrinque habet articulos: illa ex Ioanne solùm vna parte scilicet subiecti: non igitur de his eodem pacto est iudicandum.

In nostra propositione τοῦτο, articulare est, & simul demonstratiuum, quod resolui debet in id quod monstrat, τοῦτο scilicet ὁ ἄρτος, hic scilicet panis hunc enim monstrat, vt diximus; idémque τοῦτο subiectum indicat. Simile huic fuisset illud, οὗτός ἐστιν υἱὸς τοῦ θεοῦ Ioann. 1. & Ioan. 6. οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. Vbi οὗτος indiuiduum indicat, οὗτος scilicet filius Mariæ Iesus, de quo prædicatur proprium

suum

ſuum. Sic in neutris articulis Ioan. 6. Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ. Τοῦτο, ſcilicet πιστεύειν in Chriſtum, quod operum Dei quædam eſt ſpecies, de qua prædicatur genus. Huic planè fuiſſet ſimile hoc præſens, Τοῦτός ἐστι τὸ σῶμά μου, nec illi Ioan. 1. θεὸς ἦν ὁ λόγος.

Quòd locum Ioannis 6. attinet ἡ σάρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις: reſpondemus non eandem eſſe cum hac, propoſitionem. Nam Ioan. 6. Cœna nondum fuit inſtituta, nec etiam illic inſtituitur: ſed diu pòſt Hieroſolymis eſt inſtituta, cùm oratio illa in Synagoga in Capernaum ſit habita. Hoc quidem dici poteſt de vſu Cœnæ illic haberi ſermonem: tamen hæ duæ propoſitiones diuerſas habent quæſtiones. Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, quæritur hîc, quid panis euchariſticus dici poſſit ex noua inſtitutione, & nouo vſu, ſcilicet rectè dici poſſe Corpus Domini. Illic autem ἡ σάρξ μου ἀληθῶς ἐστι βρῶσις, quæſtio eſt, quis ſit fructus carnis Dominicæ fide perceptæ à fidelibus, non carnaliter oretenus ſumptæ, cùm carnalis manducatio eodem loco prorſus negetur. III. Argumentum.

Ad Epiphanij locum facilis eſt reſponſio. Nam τοῦτό μου ἐστιν τό ambigua eſt ſententia: ac poteſt etiam hoc pacto reddi, τοῦτο, ὁ ſcilicet ἄρτός μου ἐστι τὸ ſcilicet τὸ σῶμά μου: nec opus eſt hic τοῦτο ad corpus referre, IIII. Argumentum.

cùm in propositione, vnde illa transtulit, τοῦτο non corpus, sed panem indicet, τοῦ ad corpus pertineat. Itaque frustrà illius authoritas hîc affertur, cùm magis contra eos faciat.

Quomodo panis sit corpus Domini.

II. Diximus τοῦτο non aliud indicare quàm panem εὐχαριστικὸν, non corpus Christi præsens in Cœna, aut aliud quoddam inuisibile. Dicendum igitur iam nobis, quomodo panis sit, & dicatur corpus Domini. Duas hîc in summa reperio sententia. Prior per tropum rem hanc explicat: altera sine tropo.

Qui tropum constituunt, in eo consentiunt quòd sermo sit metaphoricus, seu improprius, qui explicatione debeat illustrari. Panis enim symbolicè ac mysticè est corpus Domini, quod dicunt, sacramentaliter. Bucerus. Ac alij synecdochen constituunt, respiciens ad totum quod hîc geritur. Duæ enim res offeruntur fidelibus: externa, quæ sensibus percipitur, panis scilicet: & interna, quæ sola fide concipitur, corpus scilicet Christi. Itaque cùm dicit *Accipite, edite, hoc est corpus meum*: panem quidem offert oculis illorum, sed fidei illorum offert suum corpus, & meritorum suorum dona. Sic etiam Irenæus & alij rem hanc explicant. Attamen ad propositionis huius explicationem

nem non satis accedit synecdoche, cum hîc solùm quæratur, quomodo panis sit corpus Domini. Alij catachresin dicunt esse, nec malè: nam per affinitatem quam res signatæ cum suis symbolis habent: nomen ipsum rei, symbolo tribuitur. Figurat quidem id, apta tamen allusione. Quamuis enim symbolum essentia, à re signata longè differat, quia hæc spiritualis est, & cœlestis, illud visibile: tamen quia rem, cui repræsentandæ consecratum est, non figurat tantùm, vt nuda & inanis tessera: sed etiam verè eam fidei exhibet.

Hanc figuram magis appositè alij dixerunt metonymiam, cùm signis rerum ipsarum nomina imponuntur, &c.

Ac tropum necessarium esse, hinc constat quia symbola manent sua natura, nouo solum officio ornantur, à quo denominationem sortiuntur. Deinde cùm disparati sint termini in hac propositione, fieri non potest, vt sine tropo rectè intelligatur illius mens. Nunquam enim panis esse potest corpus humanum organicum, vnum igitur esse non possunt, quales etiam illæ sunt, Petra erat Christus 1. Cor. 10. quod Augustinus post Originem explicans dicit, significasse Christum. Sic Christus est via, est ostium, est vitis. &c. Genes. 17. inquit Do-

minus, Et erit fœdus meum in carne veſtra, vbi de circunciſione loquitur: ac nominat fœdus ſuum, cùm per ſe fœdus & circunciſio non ſint idem: ſed hæc illius eſſet ſymbolum, & quædam teſſera. Sic panis dicitur Chriſti corpus. Auguſtinus contra Adim. cap. 12. inquit, Non dubitabit Chriſtus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum tantum daret corporis ſui ſignum. Et ad Bonifacium in quadam Epiſtola: Sacramenta habent interdum nomen earum rerum, quarum Sacramenta ſunt. Et de doctrina Chriſt. lib. 3. cap. 13. figuratam loquutionem eſſe dicit. Ioan. 6. Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c. quia flagitium videtur præcipi. Itaque ſine tropo propoſitio hæc in Cœnæ inſtitutione non rectè intelligi poteſt.

Porrò hanc ſententiam alii conantur euertere: ac contendunt ſine tropo iſta accipienda, quales in primis ſunt, qui μετουσίαν defendũt. His .n. neceſſariũ eſt negare tropũ, vt purè identicam tuantur propoſitionem. Illis accedunt alij, qui licet μεθουσίαν negent, tamen vnionem talem conſtituunt ſigni & ſignati, vt non ſit ſine re ipſa ſignũ, hoc eſt, vt in Cœna corporaliter adſit Chriſtus: quod deinde diuerſis modis explicant, quæ tamen omnia in id recidunt: Corpus ſcilicet Chriſti-

sti adesse vel in pane, vel sub pane, vel cum pane. Hinc illa excogitata noua vocabula, ἐνυσία, ὑπυσία, συνυσία adde si libet etiam ἀμφυσία, & similia. Omnes illi in eo consentiunt quòd corpus Christi cum pane vnione sacramentali ita coniungunt, vt necessariò adsit in Cœna, vt sumatur ore corporeo vt loquuntur. Sed euertunt seipsos, cùm duo concedant diuersa corpora, panem scilicet symbolicum corpus, & Christi corpus illi vnione coniunctum. Itaque manet tropus. Sed homines callidi hîc excogitarunt medium quoddam verborum genus, quod non purè tropicum esset: sed vt dicunt τροπωειδῆ, hoc est, simile tropicis, & γράφικα vocant hoc est, scripturæ peculiares phrases. Miror illos, tropo adeò iniquos, cùm illum simpliciter negare non possint: sed inter sacrum & saxum sese allidunt, si τροπωειδὲς est hoc dicendi genus: itaque aliquid habet tropi. Adde quòd hi non ausint fateri, purè identicam esse propositionem, quemadmodum facinnt papistæ scolastici: sed partim indenticam, partim verò disparatis constare terminis: ex quo efficitur, tropum simpliciter hîc negari non posse.

Manet igitur prior sententia, Hoc est corpus meum, hoc est, figura est corporis

mei, vel typus, vel Sacramentum, ſymbolum; ſignificatione alludens ad ſpiritualem vſum corporis mei, quem in mea morte habetis.

Reperti ſunt medij inter has duas ſententias, qui dicarent cauendam eſſe hanc interpretationem certis de cauſis: ſed mox pari collyrio cicatrices curarunt, cautè ſcilicet eſſe legendum.

Ego ſanè dolendum eſſe iudico Chriſtianos adhuc ignorare quomodo panis ſit corpus Domini, & vinum ſanguis illius: cùm apud Iudæos nemo tam ſtupidus ſit, qui videri velit ignorare, quomodo Circumciſio ſit fœdus, quomodo agnus ſit tranſitus, quomodo ſacrificia legis ſint expiatio peccatorum, quomodo etiam ſacrificium pro peccato dicatur ipſum peccarum. Hæc, inquam, ſine controuerſia norunt: nos noſtra nondum intelligamus Sacramenta?

III. Vltimum nobis reſtat membrum inſtituti noſtri de modo, ſcilicet præſentiæ carnis Domini in Cœna. De qua re interrogatus vir æquè & iuſtè ornatiſſimus, dicebat, non difficile eſſe reſpondere, attamen periculoſum: nos neque difficile nec periculoſum: nobis iudicamus.

Modos norunt adoleſcentes dici apud Dialecticos, quibus natura propoſitionum expri-

exprimitur: quales habent 4. præter illos modos, etiam dicunt aduerbia qualitatem significantia, vt eleganter disputat, fortiter pugnat.

Itaque modus hic dicitur qualitas seu forma præsentiæ. Exemplo res intelligi potest. Præceptor adest discipulis, Rex adest subditis: si modum quæras, duplex esse potest. Aut enim illis adest corpore suo, vt præceptor in lectione, cùm vident personam & audiunt vocem eius, Rex aulicis cum quibus cibum sumit, aut corpore absens authoritate præsens. Sic Rex dicitur vicisse prælio, aut victus, cui tamen corpore suo non interfuit. Sic Christus adest Ecclesiæ suæ modo duplici, aut authoritate, potestate, gubernatione, aut corpore quoque, carne sua. Hoc igitur volunt, qui hîc de modo quærunt: an adsit gubernatione, & efficacia solùm, an verò simul corpore suo glorioso, &c.

Modus itaque duplex est præsentiæ Christi: aut enim sumitur à Diuina illius natura, quo tanquam Deus adest. Hinc nati sunt illi loquendi modi, Christus adest spiritualiter, adest potentia sua, gubernatione, efficacia, maiestate, energia: nam hæc omnia in idem recidunt.

Aut sumitur modus præsentiæ ab altera

Christi natura, humana scilicet, vt non solùm potentia adsit, sed corpore quoque suo vero. Huc pertinent illæ formæ loquendi, Christus adest corporaliter, carnaliter, naturaliter, essentialiter, realiter, substantialiter, localiter, simpliciter, absolutè, σωματικῶς, ἁπλῶς, οὐσιαστικῶς actu primo, vel naturali vel absoluto: ἐνεργείᾳ τῇ πρώτῃ καὶ φυσικῇ καὶ ἁπλῇ.

Iam quæstio est, quo nam modo adsit Christus, primóne, an etiam altero. Respondemus priorem sufficere, vt non sit opus illo posteriore, & crasso. Ratio est, quòd panis nihilominus possit esse corpus Christi, quanuis Christus corporaliter in Cœna non sit. Symbolicum enim est corpus. Deinde symbolicus ille panis, nihilominus verè nobis exhibet Christum etiamsi corpore suo glorioso ad dextram Dei maneat in cœlestibus. Præterea cùm Christi corpus organicum maneat, & physicum: qua temeritate simul in plura loca distrahitur? cùm negotium Cœnæ simplissimum, & sine miraculo institutum sit, celebratum, Ecclesiæ commendatum. Ideóque non est opus vt hîc ad miraculosam quandam præsentiam confugiant, qua corpus humanum diuersis locis simul eodem tempore adesse possit: quale de Ambrosio fabulantur, illum eodem

eodem tempore Mediolani visum, & Turoni in funere Martini. Item si carnalis præsentia causa esset necessaria, corpus actu daretur infinitum, quod fieri non potest, nec vllibi Scriptura hoc exigit. Demum Christus Ioan. 6. carnalem manducationem expresse negat. Sufficit igitur spiritualis, qua fides vera, Christum verè amplectitur, & manducat.

Obiect. de vnione.

Sex excipiunt hîc, opus esse præsentia vtriusque naturæ diuinæ, & humanæ, idque propter vnionem personalem, quæ solui non potest: hinc effici vt pari iure adsit humana natura tum diuina. Responsum iam est huic argumento à Doctis viris: cuius hæc summa est, vnionem firmam & illæsam manere, qua in vna persona Christi, duæ naturæ, diuina & humana conficiunt vnum indiuiduum: non tamen inde sequi, vt pariter debeant extendi. Exemplis res perspicua erit. Corporis & animæ est arctissima vnio, attamen anima vagatur, quò corpus non solet peruenire. Sic oculi, corpus & visus vnita sunt arctissimè, visus tamen vno momento, cœlum, terram, montes, maria percurrit, quò corpus oculi non potest penetrare.

Sic manet in Christo integra & illæsa naturarum vnio, quanuis non pariter exten-

damur. Res opinor, satis perspicua est.

Attamen iterum obiiciunt. Christus igitur non adest personaliter, cùm vna natura solùm adsit, altera verò ad dextram Dei maneat.

Respondemus Christum adesse personaliter, quanuis non totum Christi adsit. Id quomodo intelligi debeat, poterat vel in scholasticis disci. De toto Christo rectè dicitur, adest personaliter, quia adest altera illius natura, diuinitas, quæ vnita est cum humana in illa persona. De carne autem vel corpore, aut humana illius natura non rectè dicunt, adest corpus Christi personaliter, quia humana illius natura non est persona: sed personæ integræ altera pars. Hinc scholastici dicunt, Christum adesse personaliter, non autem totum Christi. Quia verò vnita est humanitas diuinitati in illa persona dicitur adesse etiam humanitas, non per se quidem, sed per accidens. Nam Diuinitas per se adest, & ἐνεργίᾳ τῇ πρώτῃ. Huic enim soli competit, vbique esse per se. Humanitas verò Christi adest actu secundo, ἐνεργείᾳ τῇ δευτέρᾳ, quia vnita est Diuinæ naturæ: nec humanitatis per se est vbique adesse, aut multis locis eodem tempore esse.

Adest igitur Christus verè personaliter, quan-

quanquam non totum Christi adsit, nam fides quæ hîc alitur, & alit non comprehendit falsa, aut ficta: sed veras rerum substantias. Nec opus est, vt simul præsentia sint, quæ apprehendit. Sic enim incarnationem, natiuitatem; passionem mortem ipsam Domini, quanuis longè præterita, fides reuera amplectitur, tanquam præsentia. Sic de Patribus loquitur Apostolus 1. Cor. 10. quòd eundem cibum nobiscum spiritualem comederint. Attamen Christus non incarnatus fuit: nondum assumpserat λόγος carnem: quomodo igitur eundem nobiscum cibum poterant sumere? Vtique quòd fidei illa natura sit, vt absentia, præterita & futura verè amplectatur tanquam præsentia. Nec mutatur res ipsa, temporum mutatione, aut etiam signis Sacramentalibus mutatis. Idem Christus eadem sua carne aluit Patres in deserto, eadem hodie nos alit, vtvt illis nondum incarnatus esset filius Dei, & nobis hodie ad dextram Dei sedeat illius assumpta caro.

Præterea adsunt symbola corporis illius, de quibus illud prædicatur. Et dementis est Christum alligare ad carnalem præsentiam, quasi non possit nos carne sua alere in terra, ipse manens corpore suo in cœlo.

Item homo Christus adest pari potesta-

te, cum Diuinitate: omnia hîc agit, gubernat conſcius omnium & voluntate conformi. Arctiùs nobis adeſt homo Chriſtus, quàm præceptor diſcipulis corpore abſens. Præceptor quidem adeſt authoritate: ſed quid agant ſcire abſens non poteſt, non corripere, aut commendare, caſtigare, &c. At homo Chriſtus in cœleſtibus præſens eſt, non ſolùm authoritate tum Diuinitate: ſed nouit omnia, qui ſui agant, qui & quales accedant: corrigit quæ vult, gubernat omnia, cognoſcit corda omnium, paſcit ſuos.

Hæc efficacia longè maxima eſt, quæ efficit, vt verè adeſſe hominem Chriſtum, virtute operandi, libenter dicamus. Nec opus eſt in tali præſentia, corpora eſſe ἁπτόμενα hoc eſt, ſic præſentia, vt contingant ſeſe: quod illi volunt, qui ore corporeo, Chriſti carnem eſſentialem edi hîc contendunt: ſed percipi verè ſatis eſt. Quemadmodum Sol adeſt mundo reuera ἐνεργητικῶς, nec opus eſt vt in ſingulis vrbibus corporaliter ſit: ſic Chriſtus adeſt fidelibus ἐνεργητικῶς.

Itaque rem hanc concludimus Domini Auguſtini ſententia, qui in Ioannis tractatio. 30. inquit, Surſum eſt Dominus, ſed etiam hic eſt veritas Dominus. Corpus enim Domini in quo reſurrexit vno loco eſſe poteſt,

teſt, veritas eius vbique diffuſa eſt. Et Iuſtinus Martyr explicans viſionem Eſa. 6. inquit, Chriſti myſterium illa carbonis expiatione adumbratum fuiſſe: καθήμενον ὅτι θρόνῳ δόξης, καὶ τῇ βρώσει τῆς ἁλίας αὐτὸ σαρκὸς, καθαρισμὸν ποιοῦντα ἁμαρτίας ἀσεβῶν ἀνθρώπων. Chriſtus itaque ſedens in throno gloriæ cæleſtis, nos in terra ſancta ſua carne cibat, quem oramus, vt aliquando Eccleſiæ pacem reſtituat, vt vnanimi conſenſu illum inuocemus, vera fide amplectamur & ſeriò de vitæ emendatione tandem cogitemus, Amen.

DE OFFICIO COMmunicantium.

Verſ. 16. *Quotieſcunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini anuntiatis vſque quò venerit.*

17 *Itaque quiſquis ederit panem hunc aut biberit hoc poculum Domini indignè, reus tenetur corporis & ſanguinis Domini.*

18 *Probet autem quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat & de poculo illo bibat.*

19. *Nam qui edit & bibit indignè damnationem ſibi ipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini.*

Πρότασις.

VOD cœtus frequentiores hoc tempore cogimus, id non tam conſuetudine, quàm officij ratione fit. Nam in familia bene inſtituta, domeſtici quidem omni tempore in officio eſſe debent: attamen rei grauitas & temporis ratio, aliàs exactius & vigilantius officium requirit. Vt in ſolenni feſto labore, nuptiis filij familias, in meſſe ne pueris parci ſolet, quin ſtipulas colligant & ariſtas. Hinc Dominus Chriſtus Luc. 12. beatum prædicat ſeruum, quem Dominus veniens repererit ſic facientem, & Matth. 25. virgines illæ prudentes nunquam vigilantiùs incubuerunt officio, quàm ſub aduentum ſponſi, & Matth. 8, in ſua familia, centurio id nobis proponit. Dico ſeruo meo, vade & vadit: alteri, Veni, & venit: & tertio, Hoc facito, & facit. Hinc etiam Philoſophi duplex conſtituerunt officium, medium, cuius intermiſſi vel præſtiti ratio probabilis poſſit dari. Perfectū verò, quodà viri boni decoro nuſquam aberret. Ac quomodo illi ſuum perfectum officium ſtabiliant

Αἴτιον à ſimili familiæ bene inſtitutę.

liant, nihil hîc attinet. Satis eſt in familia bene inſtituta officij rationem hanc eſſe.

Nos verò domeſticos eſſe Dei, vel ipſa profeſſio Chriſtianiſmi docet: ſed & hinc conſtare poteſt, quòd Apoſtolus Epheſ. 2. ait: Itaque non eſtis ampliùs hoſpites, & inquilini: ſed conciues ſanctorum, ac domeſtici Dei, ſuperſtructi ſuper fundamentum Apoſtolorum ac Prophetarum, cuius ſummus angularis lapis eſt Ieſus Chriſtus. Et Gal. 3. Omnes filij Dei ſumus, ſed nondum apparuit quod erimus. Philip. 3. πολίτευμα noſtrum in cœlis eſt. Minor.

Quare ad exemplum familiæ bene inſtitutæ conſiderare debemus, quid rei grauitas, quid circunſtans tempus hoc à nobis requirat, vt tanquam frugi domeſtici, in officio quàm vigilentiſſimi reperiamur. Συμπέρασμα.

Veteres magno ſtudio ad memorias Martyrum concurrebant, vt audirent conſtantiam, fidem, martyria ſanctorum. Vnde bona pars ſermonum apud Auguſtinũ, Baſilium, &c. in illorum memorias conſcripta, & habita fuit. Nos multò rectiùs ad Chriſti filij Dei celebrandam memoriam concurremus, quia hîc non teſtis, ſed Meſſiæ & redemptoris beneficia recolimus. Non audimus hîc vitam, virtutes, mortes ſeruorum Dei: ſed Dei ipſius inter homines

agentis, morte sua nos redimentis, & ad officia confessionis, certaminum, & agonum nos prouocantis.

Officium igitur est, quod agimus ab ipso Christo nobis impositum, ad alendam fidem, ad confirmandum proximo, quàm simus pacis & concordiæ studiosi, quantùm doleat nobis vita hactenus acta, quàm parati simus ad emendandos mores.

II. Propositio. Ad quam rem, vt paratiores simus, de officio communicantium in præsentia agemus, ideóque ex contextu, qui solenniter prælegi solet ad Cœnam Domini, selegimus hunc locum, in quo de officio communicantium agitur.

Superiora enim ad testatoris voluntatem pertinent, habéntque causarum ordinem, de quibus diximus persæpe, & aliàs dicturi sumus, volente Domino. Hæc propriè nos concernunt. Nam Apostolus suis verbis proponit, quid afferre ad mensam Domini nos oporteat.

III. Diuisio. Porrò tria hîc nobis explicanda erunt, Primùm quid sit καταγγέλλειν θάνατον τῦ κυρίυ. Alterum, quid sit edere, & bibere ἀξίως. Tertiò, quomodo nos ipsos possimus δοκιμάζειν, vt parati accedamus ad hanc mensam. De his confecta oratione, videbimur officio nostro perfuncti in præsens.

I. An-

I. Annunciare mortem Domini, commune eſt officium communicantium, quod omnibus & ſemper competit: nec ſolùm in actione cœnæ, ſed extra illam, ante & poſt eam mors Domini ſemper, & ab omnibus celebrari debet, & magnifacienda. 1. Omniũ ſemper.

Eſt enim καταγγέλλειν publicare cum laude autoris & gratia publica, quo ſenſu dicimus celebrare res geſtas, annunciare læta. Et quanquam ἀγγέλλειν media ſit dictiõ, hoc eſt, læta & aduerſa ſignificet: nunciari tamen hîc in bonam partem ſumitur, quemadmodum Dauid de Achimaaz filio Zadok dicebat, vir bonus eſt, bonum venit nuncians. Quid ſit καταγγέλλειν. 2Sam.18.

Deinde mortem, non præciſe ſumimus pro ipſo agone expirantis: ſed ſimul complectimur mortis antecedentia, paſſionis hiſtoriam, miracula, doctrinam, vitam Chriſti, quæque cùm morte coniuncta fuere & illam ſequuta ſunt: in primis tamen vſum mortis Dominicæ. Hæc celebrare, publicare, alióſue docere ſignificat annunciare mortem Domini. Multiplex igitur eſt hoc officium.

Modi ſic colligantur. Primus eſt doctrinæ, & eorum propriè, qui docendo præſunt Eccleſiæ. Hi annuntiare dicuntur mortem, cùm docent Euangelium, cuius Doctores Eccleſiæ.

ſumma & ſcopus eſt, ornare mortem Chriſti, nobiſque ſumma fide commendare. Hos nuncios inſtituit Chriſtus Marc. 16. Ite in vniuerſum orbem : Ecce his dicit Eſa 52. Quàm ſpecioſi pedes annunciantium bona, nunciantium pacem. Et Daniel 12. Qui docent alios ad iuſtitiam, lucebunt, vt ſtellæ cœli. Hîc modus miniſtrorum eſt, & extra cœnam, docendo præſtatur.

Alter modus ad eoſdem ſpectat : ſed in cœnæ actione, ſeu tempore cœnæ, locum habet. Nam tum in primis vſum mortis Dominicæ explicare debent: quòd ſcil. ſit λύτρον, quo redempti ſumus. Sic ad Rom. 5. Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. Et Rom. 6. In mortem illius baptizati ſumus. Summa quæcunque ad verum vſum mortis Dominice pertinent, explicanda ſunt auditoribus : Ita rectè annunciatur mors illius.

Ex quo diſcimus, Cœnam non eſſe celebrandam ſine doctrina publica, hoc eſt, concione, quæ auditoribus negotium mortis Domini aperiat. Facit hoc contra priuatum vſum Cœnæ. Quòd verò legimus apud Iuſtinum, Tertull. & alios, Cœnam aliquando miſſam fuiſſe abſentibus in familias priuatas, non illum habet ſenſum, quem multi arbitrantur : ſed ſic debet intelligi.

ligi. Cœna Domini Apoſtolorum tempore peragebatur in publicis conuiuiis : Is mos durauit adhuc Iuſtini tempore & Tertul. Ad iſta conuiuia comportabant diuites panes, vinum, carnes, &c. Inuitabatur autem totus cœtus fidelium imprimis pauperes. Rebus omnibus paratis, coram toto cœtu, ſurgens primarius aliquis, qui Iuſtino dicitur προεστὼς, hoc eſt, præſens Eccleſiæ benedicebat cibo, recitata etiam inſtitutione cœnæ Dominicæ. Hinc totum conuiuium dicebatur cœna Domini: ex illo, ad ægros mittebant portiones, & ad alios pauperes, ad captiuos, ſi licebat. Quod nihil aliud erat, quàm cibum & potum tranſmittere, eleemoſynam conferre.

Poſtea verò corruptus ille mors irrepſit, vt neglectis eleemoſynis, ad ægrotos deferretur hoſtia cœna Dominicæ. Sed nihil tale factum eſt in primitiua Eccleſia.

Tertius modus ad auditores pertinet. Nam cùm Apoſtolus dicat, *Mortem Domini annunciate, quotieſcunque ediritis de pane iſto, &c.* manifeſtum eſt ad auditores pertinere hoc officium quoque. Annunciant igitur illi quoque mortem Domini, aſſenſum præbendo doctrinæ. Nam ſenſus noſtri quidam nuncij ſunt, qui deferunt ad mentem, viſa, audita, guſtata, quibus dum

Auditores annũciãt mortem Domini.

præbet ratio perſuaſa, aſſenſum, multiplicem inde haurit conſolationem. Deinde ſequitur celebratio mortis Dominicæ, vt auguſtè & magnificè de illa iudicet & pronunciet. Inde exprimitur quoque confeſſio publica, vt quod ſentit mens mota à Spiritu ſancto liberè idem confiteatur. Ac vetus eſt conſuetudo, ne cœna ſine ſymboli Apoſtolici recitatione celebraretur, vt ſit forma aliqua confeſſionis. Denique moribus, & conuerſatione ornanda eſt profeſſio: quo genere in primis commendatur, ac celebratur mors Domini. Si homines videant veſtra opera bona, & laudent Patrem qui in cœlis eſt. Huc pertinet quod Chriſtus ait Ioann. 13. Beati vos, ſi illa ſcientes feceritis eadem. Iacob. 3. conuerſatio bona commendatur. Philipp. 1. dignè Euangelio iubet ambulare, & hic primus gradus eſt, quo ornare poſſumus mortem Domini. Philoſophi officiis ſcientiæ, præponenda etiam iudicant officia Iuſtitiæ: nos multò rectiùs in profeſſione Chriſtiana, innocentiam vitæ reliquis præferimus Chriſtus enim non beatos dixit multa ſcientes: ſed humiles, & multa facientes.

Sequitur alterum officium communicantium: *dignè ſcilicet ſumere.* Eſt hoc cœnæ proprium: nemo enim niſi in ipſa cœna, di

gnè

gnè edit & bibit. Dignitas igitur & indignitas in ipſam actionem cadunt, cùm ſuperiùs eadem etiam antecedant.

Dignitas illa quæ ſit, quari ſolet. Reſpondemus eam eſſe, quæ affert officium Chriſtiani hominis ad cœnam. Quod cum multiplex ſit, Chriſtus nobis ad duo reducit, Diliges Deum toto pectore, & proximum tuum, vt teipſum. Hæc ſi afferamus ad cœnam, rectè videbimur etiam dignè ſumere, hoc eſt, edere, & bibere. Quid ſit ἀξιώτης

Quærendum tamen eſt preſſiùs quæ ſit illa dignitas. Vox ἀξιώτης varia eſt: nec mox quælibet huc quadrat.

Triplex reperitur ἀξιώτης in ſcriptura. Prima, naturalis eſt, ἀξιώτης φυσικὴ, quæ eſt par quædam habilitas perſonæ ad res ipſas, vt in Apoc. cap. 4. Seniores illi 24. ante thronum Dei, proiectis ſuis coronis dicunt, Dignus es Domine, qui accipias gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creaſti omnia. Et cap. 5. cœtus ſanctorum clamat, Dignus eſt Agnus ille occiſus, vt accipiat virtutem, dignitatem, ſapientiam fortitudinem, honorem, gloriam, & benedictionem. In his duobus exemplis, par habilitas naturalis exprimitur ad gloriam & honorem. Verè enim Deus ſua natura hæc poſſidet, illíſque dignus eſt. Sic Chriſtus agnus Dei, 1. Φυσικὴ ἀξιώτης.

dignus natura ſua vt aperiat librum ſignatum.

Hanc dignitatem non poſſumus ſtatuere in nobis, communicando: nam ſi naturam expendis, filij iræ ſumus Epheſ. 2. & opera noſtra reuera digna riſu ſunt, vt pronunciat Ieremias cap. 10. opus digum riſu in die viſitationis ſuæ peribit. Et Ierem. 9. Vana ſunt opera, & riſu digna. Nec poteſt in natura noſtra par dignitas conſtitui ad cœnæ æſtimationem, vt habiles & digni reputemur.

2. Meritoria dignitas.

Altera eſt dignitas ἀξιώτης μισθολικὴ dignitas meritoria: quemadmodum Matt. 10. dicitur dignus operarius cibo ſuo. & Luc. 10. dignus mercede. Quia ſoluitur ex pacto, & ſtipulatione: & quanquam natura ſua non dignus ſit mercenarius, attamen quia ſtipulatione res agitur, dignus habetur præmio ſuo, vt merces maneat merces, & non gratia.

Hic quoque modus nobis non competit. Nullum enim in nobis eſt meritum, quod dignos efficiat cœna Domini: ſed cùm omnia fecerimus, dicendum nobis eſt, Serui inutiles ſumus.

3. Ἀξιώτης ἱκανότητος.

Tertius ſupereſt modus dignitatis, ἀξιώτης ἱκανότητος, quæ decorum officij affert.

Dicitur interim dignitas, quanquam noſtra non

non sit, quemadmodum Iustitia dicitur imputatiua in nobis, cùm non sit nostra, sed nobis tribuatur à Deo remisso peccato. λογιστικὴ dici potest imputatiua dignitas, & χαριστικὴ cùm facimus Christiani hominis officium, hoc, Deus dignitatem interpretatur, & imputat quasi dignam rem cœnæ filij sui. Hoc modo etiam, fructus dignus pœnitentia dicitur, hoc est, conueniens pœnitentibus. Matth.3.Luc.3. ἱκανότης propriè est, quia Deus sufficientem habet hanc operam, quanquam etiam ipse conferat eam. Coloss 1. Gratias agentes Patri τῷ ἱκανώσαντι, hoc est, qui idoneos nos reddit ad partem sortis sanctorum. Et idem, esse, ἱκανὸν & ἄξιον dicit, prior versus indicat, vbi ait, Ambulate ἀξίως Domino ad omnem beneplacentiam, omni opere fructum ferentes, quo satis indicat ἱκανότητα esse ἀξιότητα, quam Deus in suis gratam habet. Sic ad Philip. dicit, dignè ambulate Ephes. 4. voccatione dignè ambulate. 1. Thess. 2. Deo dignè ambulate: quod nihil aliud est, quàm professioni suæ respondere.

Qui dignè sumant.

Hæc dignitas requiritur in communicantibus, qua afferunt non natura, aut merito parem habilitatem, sed officij hominis Christiani decorum. Itaque dignè accedunt, primùm qui fide amplectuntur promissio-

nes de merito Christi, quanquam lapsus in eis sint. 2. etiam notorij peccatores digni esse possunt, modò pœnitentiam seriò agant. 3. in quibus vita professioni, respondet, omnium digniſſimi esse videntur: quanquam nulli sunt tales, quin lapsus suos quotidie sentiant & deplorent. 4. qui celebrant hanc ad institutionem Domini 5. qui digna æstimatione, hoc est, augustè, & religiosè de illa sentiunt. 6. qui ritum à Christo institutum in ea non corrumpunt: sed modum & formam Christi retinent, nihil addunt, neque demunt.

III. Superest vt de probatione pauca dicamus. Subiecit præceptum hoc Apostolus superioribus per ἐνθεσιν: nam proxima quæstio esse poterat: Dignè debemus sumere, sed quis nos dignos faciet? aut quo apparatu reddemus nos dignos? His respondet inquiens, *Probet autem seipsum homo.*

Seipsum probare iubet, vt excludat curiosos censores morum alienorum, quasi dicat. Res tuas considera, & manticam à tergo excute, ita poteris fieri dignus conuiua. Iudicium de alis falli potest multis modis: nam de momento conuersionis non possumus statuere: Deus alium maturè, aliũ serò vocat, nos à posterioribus iudicamus: Deus verò

verò à prioribus procedit. Inde factum eſt, vt Chriſtus publicanos, peccatores, meretrices præferat his, qui in ſpeciem ſanctè & innocenter viuebant. Nec iſta patrocinantur diſſolutioni morum, quia nec Chriſtus tales laudat publicanos, qui tales eſſe pergũt, nec meretrices, quæ in proſtibulo perſtant: ſed agentes pœnitentiã, ideóque verum manet: Quos nunquam videmus ſeriò agere pœnitentiam, illos ſeipſos indignos ſtatuere hac cœna: & ob id admonendos officij.

Quærendum eſt hîc in quo poſita ſit δοκιμασία. Sunt qui ponant in longa præparatione. Antequam enim accedant ad Cœnam, ieiunant aliquandiu, velant ſe, habitum elegantiorem deponunt. Hæc quidem culpare non auſim. Bonum enim eſt ieiunare ſuo loco, & tempore, ſe velare, triſtem incedere bona quoque ſunt: ſed in eo peccatur, quòd apparatus hic, vt ad tempus aſſumitur, ſic tempore mox deponitur. Nam ſumpta cœna, illi mox reuertuntur ad ſuas epulas, ad lutum, ad veſtitum, ad mores priores, adeóque ad ipſa vitia, quæ ad tempus ſolùm intermiſſa fuere. Videntur iſti nõ aliter facere, quàm medici, qui vt pharmacum proſit corpori, id priùs purgatione habile reddunt ad ſumendum pharma-

cum: sed falluntur homines, qui sic profes-se cœnam existimant. Nam vitia sic sunt deponenda, vt ad illa non reuertamur.

Deinde Deus non curat externum hunc apparatū ieiunij & vestitus: sed magis dā-nat, & hypocrisim vocat, cùm careat vi-tæ innocentia, & sanctimonia.

Alij sunt qui δοκιμάζειν intelligant sese purgare, & aliis probatum declarare, quo genere sese aliis probatos declarāt, qui sus-picionibus sese volūt liberare, vt capitales inimici suspecti de homicidio, maleficio. Sic testātur sese redire in gratiam, aut non esse tales, quales habentur suspicione pu-blica. Hinc illud profectum est, Corpus Domini nostri Iesu Christi sit tibi ad pro-bationem. Sed & illi erant, cùm sæpe tales sub hac specie venena & dederint, & acce-perint, nec liberi fuerint ab istis sceleribus, quæ purgare voluerunt. Itaque non mox δόκιμος haberi potest, qui ad illa tanquam supremat prouocat remedia. Deus lōganimis est, nec statim miracula edit. Detegun-tur tamen illorum scelera suo tempore.

Superest δοκιμασία vera, quæ nos Deo, deinde nobis, hinc proximo approbat. Id sit hoc modo. Fides nostra primùm nobis exploranda est, quid sentiamus de Deo Fi-lio Dei, morte eius, instituta cœna. Huc

perti-

pertinet probatio dogmatũ in genere. Et quia iubet δοκιμάζειν rectè ad dogmata referri potest. Deinde excutienda est vita, vt mores corruptos emendemus: probatur enim vita, dum quod in illa Deo displicet deponitur. Hinc illud est, Secundum spiritum ambulare, fuctus illius facere, & opera carnis & tenebrarum deponere.

Hinc noua debet subsequi obedientia, ne in pristinos mores relabamur, & contingat nobis, quod de cane dicitur, & sue, quæ animilia impura vt sunt, ita ad lutum, & vomitum lota mox reuertuntur.

Hoc sensu scritura iubet nos ipsos probare. Sic de spiritibus probandis loquitur Ioann. 1. Epist. cap. 4. & de diaconis probandis. 1. Tim. 5. & de Deo nos probante vt argentum Psal. 17.

Sic probare nos debemus. 2. Corinth. 13. Vos ipsos tentate, an sitis in fide, vos ipsos probate: an nos ignoratis, num sitis in Christo? Hanc igitur probandi viam ingrediamus. Vitam & fidem nostrã exploremus, his addamus oris confessionem. Homerus eleganter dixit de Diomede & Vlysse ituris ad res hostium explorandas σὼ τὼ δύω ἐρχομήω. Nos ad nostras res explorandas ituri dicamus, σὺν τετράσιν ἐρχομένοις, tribus simul euntibus. Et quæ

sunt illa: στόμα, βιὸς, πίστις. Oris confessio vitæ innocẽtia, & fidei integritas. Hæc tria omnino adferenda sunt ad mensam Domini: nec sine vno horum integra esse potest probatio nostri. Duo horum probamus ex Apostolo, qui ad Rom. 10. ait, Corde creditur ad Iustitiam: ore autem fit cõfessio ad salutem. Tertium ex Christi verbis asserimus. Matth. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Et Iacobi 2. fides sine operibus mortua est. Item fides cooperatur operibus. Fides nititur promissionibus, & sine hac, non potest applicari nobis illarum veritas. Confessio autem necessaria est propter gloriam Dei: vita autem emendata propter proximum.

Itaque ab vltimo exorsi, paria paribus reddamus. πίστις δόκιμος, ἄξιος βίῳ, ἀγγέλων στόματι. Fidei est probatio: vitæ dignitas oris cofessio.

Hanc trium harmoniam elegãtissimam esse iudico: adeò vt ne hesperus quidem ei conferri possit.

Fides Dei donum est, ideóque illi etiam tribuitur probatio. Vita nostra est, quæ fidem ornare debet, ne vitæ & cordis sit dissonantia. Confessio vinculum est vtrũque colli-

colligans, Has tres virtutes igitur meminerint ſinguli, quomodo afferant ad Cœnæ actionem. Trinum perfectum eſt: ideóque nulla ex illo choro poteſt dimitti, non minùs quàm ſi ex Gratiis vnam demas, nihil eſt quod relinquis.

Reliqui cogitent grauiſſimas Apoſtoli comminationes, quæ indignis propoſitæ ſunt, vt quòd rei tenentur corpotis & ſanguinis quòd iudicium ſibi ſumunt, quòd corporalibus malis quoque implicantur: quod Apoſtolus dicit de Corinthiis, multos ob id inter eos eſſe infirmos.

Veteres in actione Cœnæ, ſolebant accedentes admonere officij ſui: quod ſanè non abs re foret, hodie fieri, & quidem ſeueriùs, ſi quo pacto, leuitas mortalium corrigi poſſet. Occinebant illis breues quoſdam verſus, quos ſi non aliis: attamen nobis ſinguli, quia ſtudioſi ſumus occinamus: θεαν θρώπου, μὴ ἅπτε γνὼ μὴν τε καὶ ἦθος, ἀδόκιμος τράπεζαν, λάβε δὲ πίστιν τε καὶ βιὸν, &c.

LECTIO SEXTA DE cœna Domini ex prioris ad Corinthios Epistolæ capite vndecimo.

*

Vers. 42. *Et gratiis actis fregit panem, ac dixit, Accipite, edite, hoc meũ est corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite ad mei recordationem.*

25. *Itidem & proculũ postquam cœnasset, dicendo, Hoc poculum est Nouum illud Testamentum per meum sanguinem: hoc facite quotiescunque biberitis, ad mei recordationem.*

26. *Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis, vsque quò venerit.*

DVplex est docendi ratio, qua hodie in explicatione cœnæ Dominicæ aliisque locis vtimur. Aut enim methodicè tractantur res, aut diexodicè. Priore vtuntur, qui auditores proximè ad rei cognitionem deducunt, vt cùm definiunt, diuidunt, ordinem causa-

cauſarum explicant, fructum ac vſum in ſacra cœna monſtrant. Poſteriorem autem ſequuntur, qui his locis intermiſſis, quæſtionibus, vt mouentur à curioſis, occurũt. Prior olim propria fuit Eccleſiæ, quæ ſuos habebat catechiſtas, qui iuuentutem, & catechumenos in cauſa Religionis inſtituebant. Poſterior à ſcholis vſurpata fuit, in quibus de quæſtionibus vltro citróq; contendebatur. Ac optandum erat, hunc morem manſiſſe: ac retinuiſſent ſe homines contentioſi intra ſcholas. Sed ſecus accidit. Hodie Eccleſiæ vix aliud magis audiunt, quàm certamina quæſtionum, ſcolis relicta eſt methodus.

Et quòd attiner præſentem cauſam, diximus aliàs de cœna Domini methodicè, hoc eſt, indicauimus definitionem veram, ex verbis Chriſti, & Apoſtoli. Partes quoque declarauimus, hoc eſt, ſigna, & res ſignatas, ordinẽ quoque cauſarum: quis ſcilicet ſit autor, quid hîc materiale, quid formale, quis finis, quis fructus & ſimilia, ad quæ iuuenturem remittimus.

Nunc quia iterũm nobis de hac cauſa eſt agendum, dicemus de cœnæ Dominicæ ſumptione: quatenus locus Apoſtoli hoc requirit, hoc eſt, quid cum ſymbolis à fidelibus in hac actione ſumatur.

Quæ res vt dilucidior ſit, his capitibus abſoluetur. Primùm explicanda ſunt nobis illa ſymbola panis & vini. Deinde de re ipſa, hoc eſt, de communicatione corporis, & ſanguinis Domini agemus. Tertiò de ipſis communicantibus. Quartò de forma actionis pauca ſuiiciemus, atque illa breuiter, ac dilucidè, quoad temporis fert ratio, proponemus.

I. SYMBOLA.

Sacramenti huius duas partes eſſe dicimus, Symbola, & res ſymbolicas, quod probamus ex verbis inſtitutionis: panẽ & vinum enim adhibet, quæ ſacramentũ facit corporis ſui. Idem probamus ex Irenæo cap. 34. lib. 4. Euchariſtia ex duabus rebus, conſtat, terrena, & cœleſti. Rem terrenam dixit, panem & vinum: cęleſtem verò, quæ his ſymbolis repræſentata fuit.

Symbola. Symboli appellationẽ habemus ex Origene, qui vocat σύμβολα τοῦ σώματος καὶ αἵματος χριστοῦ. Baſilius in canone liturgiæ, hoc eſt, miſſæ, quę illi aſcribitur ὑπομνήματα vocat κατέλειπε δὲ ἡμῖν ὑπομνήματα τοῦ σωτηρίου αὐτοῦ πάθους ταῦτα ἀπροστεθήκαμεν κατὰ τὰς αὐτοῦ ἐντολάς. Reliquit autem nobis memorialia ſalutiferæ ſuæ paſſionis illa, quæ propoſuimus

Ὑπομνήματα.

mus ſecundùm illius præcepta. Nazianzeuns ille Theologus, in oratione pro ſubditis ſuis ad Imperatorem iratum, vocat τύπους, καὶ τὴν τράπεζαν ταύτην ἢ κοινῇ προσιμεῦ, καὶ τοὺς τύπους τῆς ἐμῆς σωτηρίας. Et menſam hanc quàm communiter accedimus, & typos meæ ſalutis. Τύποι.

In apologia de ſe loquens, antitypa vocat: πῶς ἔμελλεν θαῤῥῆσαι προσφέρειν αὐτῷ, τὴν ἔξωθεν τὴν τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀντίτυπον; Quomodo auſus fuiſſem illi offerre extrà magnorum ſecretorum exemplar? Sic in Epitaphio ſororis Gorgoniæ, καὶ εἴπου τὶ τῶν ἀντιτύπων, τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος, ἣ χεὶρ ἐθησαύρισεν: Et ſi quid fortè exemplariorum honorandi corporis, & ſanguinis manu collegiſſet, id lachrymis irrigauit. Αντίτυπα.

Auguſtinus ſigna ſolet vocare, contra Adim. cap. 12. poſſum etiam interpretari præceptũ illud in ſigno eſſe poſitum: non enim dubitauit dicere Dominus, Hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui. Et lib. 3. cap. 22. contra Maximinũ. Hæc enim Sacramenta ſunt, quibus non quid ſint, ſed quid oſtendãt, ſemper attenditur, quoniam ſigna ſunt rerum aliud exiſtentia & aliud ſignificantia. Signa.

Tertull. lib. 4. contra Marcionem figuram vocauit, Acceptum panem & diſtri- Figura.

butum discipulis, corpus suum illum fecit, hoc est, corpus meum, dicendo, id est figura corporis mei.

Porrò, hîc quærunt, quomodo acquirant nomen corporis, & sanguinis Dominici. Diximus aliàs, cur & quomodo hoc fiat, nunc ad eandem rem illustrandam solùm proferemus elegantissimum locum Theodoreti, in primo dialogo: qui sic rem hanc explicat, ὁ γὰρ σωτὴρ ἡμέτερος ἠλλαξε τὰ ὀνόματα, καὶ τῷ μὲν σώματι τὸ τοῦ συμβόλου τέθεικεν ὄνομα: τῷ δὲ συμβόλῳ τὸ τοῦ σώματος. Seruator autem noster commutauit nomina, & corpori exhibuit nomen symboli, & symbolo nomen corporis. Rem ipse illustrat exemplis, ex cap 15. Ioannis, & Gen. 49. de vino & sanguine. Nos idem illustramus de pane, & corpore ex cap. 6. Ioann. & cœnæ institutione. Apud Ioann. enim, se cibum, & panem vocat, quod nomen propriè symbolo competit: in cœnæ autem institutione, panem vocat corpus suum. Ac ne absurda nobis videretur hæc commutatio appellationum, quasi simul rerum fieret mutatio, id statim vir sanctus canit, dicendo, οὐ τὴν φύσιν μεταβαλὼν, ἀλλὰ τῇ φύσει τὴν χάριν προσθεὶς, non naturam mutando, sed daturæ gratiam addendo, significans rerùm naturæ integram, & saluam manere: ele-

mentis

mentis autem ſacramentalibus accedere gratiam ſacramentalem.

Sic Aug. rem explicat tract.63,in Ioann. Non dictum eſt, Petra ſignificabat Chriſtum:ſed Petra erat Chriſtus. Ita enim ſolet ſcriptura loqui,vt res ſignificantes,tanquam illas quæ ſignificantur,appellet.

De ſymbolis diximus in genere.nunc de pane ſeorſim.Quærunt an is maneat in ſua natura & ſubſtantia,Pontificij trāſubſtantiari dicunt. Nos aſſerimus quæſtionem otioſam eſſe,imò perniciosam:tenebras enim offundit menti & ſenſibus. Deinde multis abſurditatibus præbet occaſionem: ſed eſt quoque quæſtio nupera, quā Græca Eccleſia nunquā admiſit,quanuis Græci doctores auguſtè loquuntur de ſymbolis ſacramentalibus.Chryſoſt. in 26.cap. Mat. inquit,Nos ſecum in vnam maſſam reduxit:neque fide id ſolùm,ſed reipſa nos corpus ſuum effecit. Attamen ex Græcis nemo tam abſurdus fuit,vt ob id μετουσίαν ſtatueret. Nec ſemper fuit crimen hæreſeos, ſi quis aliter ſentiret.Quod declarant actā ſynodi Florentinę ſub Eugenio4.qui indiſcuſſa hæc quæſtione, cū Græcis nihilominus communicauit.Eraſm. quoque in annot.1. Cor.7.ait, In ſynaxi tranſubſtantia-

tionem seriò definiuit Ecclesia: diu satis erat credere quocunque modo adesse corpus Christi. Et Roffensis fatetur in defensione Regis Angliæ contra Lutherum, non satis probari posse ex sacris literis.

Quod igitur illi dicunt, hoc est corpus meum, Respondemus, non esse necessum ad hunc sensum cogi hanc propositionem. Ratio est, quia habet phrasin consuetam, qua vtimur in communi sermone. Hoc est patrimonium meum, hæc est potestas mea, hæc fides tua, &c.

Deinde Apostolus 1. Cor. 12. inquit, vos estis corpus Christi, quod tamẽ sic accipimus, vt non desinamus homines esse, nec in glorificatam Christi carnem transmutamur. Vt igitur hîc mysticum corpus, & Ecclesiasticum intelligimus: sic in Cœna, sacramentale, & symbolicum accipimus

Præterea in Baptismo non ponitur trãssubstantiatio, in quo tamẽ augustè quoque loquitur scriptura, de nostra cum Christo coniunctione. Galat. 3. Qui baptizati estis, Christum induistis. Nemo tamen dicit, vel aquam Baptismi transmutari, vel homines, quanquam fiat regeneratio & sanè plus est generari, quàm ali. Generamur autẽ, & regeneramur per Baptis[illegible]um in Christo, in Cœna autem alimur. Itaque par

pat erat tra nſſubſtantiationē fieri in regeneratione potiùs, quia in generatione eſt motus de ſubſtantia in ſubſtantiā. Rom. 9. dicitur, conſepultos nos eſſe cùm Chriſto per Baptiſmum morte eius, & Coloſſ. 2. quam ſententiam Auguſt. Epiſtola 23. citans, inquit, Non ait, ſepulturam ſignificamus: ſed prorſus ait, conſèpulti ſumus, Sacramentum ergò tantæ rei, nonniſi eiuſdem rei vocabulo nuncupauit. Statuamus igitur ſymbolum panis ſuam non mutare naturam in Cœna.

De vino variarunt etiam ſententiæ. Do. conſe. diſt. 2. legimus quoſdam lacte vſos, alij aquam adhibuerunt, ſed mox refutati ſunt. Aquarios diligenter refutat Cyprianus Epiſt. 5. ad Cecilianum: ſed probat tamen mixtionem, quam Græci κράμα vocant. Habuit rationem probabilem, quia ex latere Domini fluxit ſanguis & aqua: ſed non firma eſt ratio, quia non trahit ab alegoria ad ſimplicem ſcripturæ ſenſum, Sanguini quidem reſpondet vinum: ſed quomodo aquæ reſpondet aqua? cur non ſanguinem & aquam adhibent? vt ſeruaretur τὸ ῥητὸν, aut vinum ſolùm, quod Chriſtus fecit? Itaque alia mihi videtur potior ratio κράμαλος, quia conſtanter omnes Græci eo vſi ſunt. Iuſtinus in 2. Apol. pro Chriſtianis,

ὕδαλος ἔκρᾶμαλος facit mentionem. Et Cyprian. Epist. 51. ad Cæcilium, aliisque. Ratio mihi politica videtur fuisse. Celebrabãt illi cœnam ad exemplum Christi in publica commessatione, vbi non pitissando bibebant: sed affatim ad saturitatem. Inde illa fluxit ἀταξία cœnæ, quam in Cor. reprehendit Apostolus, quòd alius ebrius esset, alius verò ieiunus. Hoc malum vt cauerẽt, miscebant vina, cùm sua natura essent fortissima nec pura bibi possent, sine tali aliquo periculo.

Hæc mihi mixtionis videtur ratio, mõre publico fuisse inducta Postea sancti Patres in eadem quæsiuerũt mysteriũ Ecclesiæ & Christi aquę & sanguinis: nã in hac re, non omnes eundem sensum mysticũ proferũt.

Supereſt vt de reipsa dicamus, quæ in communicationẽ hîc cadit. Res ipsa hîc dicitur, Corpus, & sanguis Domini, de cuius communione quærunt: nam symbolorum certa & satis manifesta est, cùm de illa iudicare possint sensus.

Hîc alii aliis felicius se explicant & expediunt. Quidam dicunt corpus ipsum dari cum symbolis. Nostri cõtrà, veritatem dari corporis & fructum: corpus verò in cœlis manere certo loco. Si pace contendentium dicere liceat, facilis hîc erat cõsensio:

nam

nam prior illa ſentẽtia, ſi ad fidem referas, nihil abſurdi habet, ſi dei enim præſentiſſimum eſt ipſum corpus Domini. Penetrans enim cœlos, non rerum vmbras, & inania venatur ſymbola: ſed corpus ipſum Domini amplectitur, illo paſcitur & fruitur non minùs, quàm corpora noſtra externo pane, & vino. Sin ad ventrẽ & dentẽ referas, vtique abſurda eſt, nec ferri vel poteſt, vel debet. Sic cùm dicimus abſentis corporis diſtribui virtutem & vſum, nõ fidei abſens dicimus: piæ enim animæ per fidem illud præſens dicimus: ſed externis noſtris ſenſibus abſens intelligimus.

Localis præſentia negatur vtrique.

Hoc igitur modo facilis eſſet cõſentiendi ratio. Nam in hoc conſentimus, quòd vtrinque negamus præſentiam localem, nec Capernaitarum more hîc craſſi deprehendemur.

Modus pacti.

De modo igitur quòd anxiè quærunt, facilis eſſet ratio, ſi ad pacem Eccleſiæ perinde eſſemus faciles: nam Chriſtus adeſt ſymbolis ſuis pacto, non commixtione, non confuſione, non conſubſtantiatione. Hic modus ab aliis ſacramentalis dicitur, quia in illis propriè locum habet.

Ac diſtinguimus præſentiam: alia eſt ſenſibus expoſita καθ' ὁμοίωσιν, earum rerũ, quę nullo interuallo, aut quàm modico diſtant

Sic præsentia sibi sunt contigua, & continua corpora. Hoc præsantiæ modo dicimus Christum in cœlis esse secundum humanitatem. Alia est præsentia energitica eorum, quæ specie distant, vi autem & virtute operandi adsunt præsentia, vt Sol nobis adest luce sua & radiis ἐνεργητικῶς. Sic Christus in cœna nobis adest virtute, potestate, ἐξουσίᾳ. Hæc ad præsentem contentionem satis poterant esse, si abesset φιλονικία. Et essent sanè philosophi in hac re æquiores veritati, quàm Theologi nonnulli, qui sine iudicio in hac palestra rixantur.

III. Ad quos autem spectat ista communicatio, respondemus, ex Christi institutione pertinere ad omnes. Nam Matth. 26. vers. 27. inquit, Bibite ex hoc omnes, quod accipi pari ratione debet, de pane quoque, accipite, & edite de isto omnes, hoc est, qui seriò volunt esse Christi discipuli, non debent mensam hanc negligere. Itaque quòd de impiis excipiunt, eos scilicet quoque participes fieri rerum, quæ per symbola hîc adumbrantur, respondemus non consequi: nam hæc fruitio electorum est per fidem ad salutem. Ioann. 6. Ego sum panis vitæ, si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.

Nunc

Nunc certum est impios non viuere in æternum cum Christo, ideò ex eo pane non edunt: panem autem hîc carnem Christi esse, Dominus ipse dicit. ex quo efficitur impios in cœna nihil præter symbola accipere. De Iuda dicitur, eum accepisse panem Domini, non autem panem Dominum. Id de omnibus impiis & impœnitentibus affirmamus: quod & Nazianzenus sensit illo versu, πέτρῳ δ' ἴσα φέροιτο θεοκτόνος ἰσκαριώτης; æquas cùm Petro Deicida reportet Iudas? Itaque hîc accipimus singuli quantumquisque attulerit fidei. Cùm igitur impij sine fide accedant, palàm est, symbolis solùm communicare: fideles autẽ, symbolis & rebus ipsis participes fieri.

IIII. Forma actionis ex institutione D. Christi simplex est & dilucida: Accepit, fregit, adhibuit preces, distribuit, iussit edere ac bibere, gratias egit, promissit in his remissionẽ, peccatorum ritè sumentibus, iterum gratiarum actione negotium finiuit. Ad hanc simplicem actionem infinita postea addita sunt, humana quadã curiositate, & superstitione, de quibus in formula Missæ videre est, Chrysostomus homilia 18. in 2. Epist. ad Cor. formam cœnæ describit, vt suo tempore celebrari solebat. In quo memorabile est, quod dicit omnes

cum sacerdote celebrasse: deinde populum simul agere gratias, quæ hodie non seruantur, Dionisius in Eccles. Hier. cap. 3. precum etiam memin. it ante & post communicationem, item quòd symbolum recitari soleret: nam confessio erat necessaria doctrinæ, cuius capita in Symbolo sunt expressa. Iustinus in 2. Apol. commemorat ferè hoc ordine, suo tempore celebratam. Primùm conuenisse ad preces: deinde finitis precibus sese mutuo pacis osculo complexos.

Hinc προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος: significans ex tota elemosynarum collecta, certam partem vini & panis deferri ad Ministrum, qui actioni Cœnæ præerat, vt his vteretur, tanquam symbolis cœnæ Dominicæ. Et obseruandum hîc, cur Græcis dicta sit προσφορὰ nimirum propter preces communes, quæ Deo offerebatur. Deinde propter symbola panis & vini, quæ in conspectum Ecclesiæ prolata statuebantur: deinde propter eleemosynam quæ in cœtu Domino offerebatur ad pauperum vsum. Nec in his omnibus fiebat mentio vlla nouæ oblationis, qua filius Dei, Deo Patri denuo offerretur: cùm hîc potiùs fructus & vsus oblationis semel factæ percipiatur.

Post hanc προσφορὰν apud Iustinum sequi-

quitur εὐχαριστία, quod illi consecrationem fecerunt, cùm Ecclesia hîc Deo ageret gratias filij sui meritis, & præsentibus donis.

Augustinus quidem consecrati dicit: sed simplex illa fuit consecrandi forma, quod ex ipso perspici potest. Verba eius sunt, Illud tantum vocamus corpus & sanguinem Domini, quod ex frugibus terræ acceptum & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem Spiritualem, & memoriam pro nobis Dominicæ passionis. Significans ex collectis eleemosynis partem tãtùm venire ad hanc dignitatem, vt sint symbola corporis & sanguinis Domini. Reliquos panes, & vina, non perinde dici corpus, & sanguinem Domini, quanquam offerantur simul in Ecclesia Domino ad vsum pauperum. Et has partes consecrare prece mystica, in qua scilicet prece recitabantur verba institutionis Christi: nec erat alia quædam magna incantatio, Nam mox addit, illa sumi ad memoriam Dominicæ passionis. Lib. 3. Trin. cap. 4.

Itaque non sensit transformari aut transsubstantiari in ipsum corpus Christi: minùs vt illud ipsũ corpus sumeretur, quia solius memoriæ non rectè hîc feciſſet mentionem. Post preces solennes, populus acclamabat Amen. Hinc Diaconi distribuebant

cœtui, inde gratiæ agebãtur Domino pro donis suis, & morte filij. Denique eleemosyna iterum colligebatur, ad vsus fidelium.

Similia leguntur apud Tertul. in Apologætico, de ritu cœnæ Dominicæ. Nos formam ex Christi institutione accipimus, ad quam pertinet, quod dixit, Hoc facite: non enim solùm voluit, vt ad memoriam sui celebremus: sed vt formam decenter seruaremus. Itaque, Hoc facite, scilicet, Conuenite piè, hoc facite, vos inuicem docere de vero eius vsu: adsit doctrina, scripturæ lectio, & interpretatio. Hoc facite, gratias agite, Hoc facite, symbola ordinaria adhibete, Hoc facite ad memoriam mei: Hoc facite, verba institutionis retinete: Hoc facite, dilectionem declarate per eleemosynas, pauperes simul iuuate, & similia, quæ in pia hac actione locum habere possunt. De his igitur piè cogitemus in hac celebratione, præsertim de vitæ emendatione veràque proximi dilectione.

LE-

LECTIO SEPTIMA DE Cœna Domini ex toto loco superiori prioris ad Corinthios Epistolę capite vndecimo versu vigesimo tertio.

*

PRoferimus iterum mysterium cœnæ Dominicæ, idque ex traditione D. Apostoli: quia is in hac causa non solum complexus est quicquid singuli Euangelistæ habent: sed insuper addit necessariam admonitionem de præparatione fidelium ad hanc sacram mensam: quemadmodum vtiliter quoque circa hanc errores quosdam patefecit.

Et veteres, quoties negotium cœnæ explicant, ferè semper se ad hunc Apostoli locum recipiunt. Quem morem nostræ Ecclesiæ sequentes, actioni cœnæ semper præmittunt contextum hunc. Et nos igitur libenter hæc verba lectioni præmittimus, vt hinc occasio & materia sumatur doctrinæ.

Porrò nemo hîc expectet dispositionem loci huius. Nam quis sit sensus, & quæ dispositio ad ordinarias lectiones magis pertinet, in quibus de his egimus ordine. Hîc, vt fit in extraordinaris lectionibus, decerpemus vtilia loco ac tẽpori præsenti, quibus iuuentus ad actionem hanc sacrã præparetur: id quod seriò, & ex animo conari debet: sunt enim magna hæc & terribilia mysteria, μεγάλα καὶ φοβερὰ μυστήρια, vt vocat ea Chrysost.

Ad hanc præparationem idonea proferemus ex præsenti loco, quoad fieri potest. Ac ad præsentem horam quatuor nobis proposuimus explicãda. Primũ quomodo nomen Sacramenti conueniat Cœnæ Dominicę. Deinde quid hîc destribuatur. Tertiò quibus fiat distributio. Quartò quo fine. De his breuẽ & perspicuam afferemus explicationem.

Ac vt res facilior sit adhibeamus initio μνήμης φάρμακον, hoc est, omnia illa quatuor breui complectamur definitione, quã deinceps vt Thesei simul sequamur. Sit igitur nostra hæc definitio.

Cœnę D. definitio

Cœnæ Dominiest Sacramentum à Domino institutũ, in quo distributione symbolica piis confirmatur communi Christi,

sti, grata beneficiorum eius recordatione & Christianę dilectionis professione. Eandem Græcè reddamus hoc pacto: proderit enim hoc fortasse ad cauendam sophisticem, quam nonnulli data opera affectant & quæūrt. Δεῖπνον κυριακόν ἐστι μυστήριον ἀπὸ τοῦ χριστοῦ τεταγμένον, ἐν ᾧ διανομῇ συμβολικῇ τοῖς πιστοῖς βεβαιοῦται ἡ ἐν χριστῷ κοινωνία, εὐδεκτῇ τῶν εὐεργεσιῶν αὐτοῦ ἀναμνήσει, καὶ ἀληθινῆς ἀγάπης ὁμολογία.

Definitionem bonam indicamus, quia τὸ τί ἐστι explicat. Deinde πρὸς ἀντιστροφὴν facilè prædicari potest: ac siquid insuper addas, superfluum erit: siquid demas, rem ipsam quæ definitur, amittes, aut saltem obscuram facies. Quid bona sit definit.

Hîc nolo in aliorum definitiones inquirere, ne prolixior reddar. In contextu habemus ὁριστικὰ κατὰ μέρος: Dominus enim Christus seorsum definit, qui sit panis symbolicus, scilicet corpus suum: & quid sit vinum symbolum, scilicet sanguis suus. Ad quem modum κατὰ τρόπον, plures reperiuntur definitiones apud veteres: vt quod Ignatius ad Ehesios scribēs ait, cœnam esse καθαρτήριον ἀλεξίκακον. Et ibidem ab effectis, κατὰ ἔπαινον describit docens, φάρμακος ἀθανασίας & ἀντίδοτον τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ αἰεὶ ζῆν θεῷ διὰ ἰησοῦ χριστοῦ. Hæ & similes

descriptiones vsum Cœnæ Domini explicant, non autem verè definiunt.

Diximus in genere de definitione: nunc eandem secundum partes illas quatuor examinabimus.

Ac primum quæri solet, quomodo nomen Sacramenti cœnæ conueniat. Respondemus hoc ei conuenire, vt genus proximum, à quo etiam alterum Sacramentum, scilicet Baptismus, pari gradu distat: de quo, vt de cœna, in eo quod quid est dicitur. Inde constat non rectè definiri cœnam per epulum: quia non quæritur quid simpliciter cœna sit: sed quid cœna Domini.

Deinde Baptismus non est epulum: ideò nec cœna Domini. Ratio est quòd hæ duæ species pari gradu à proprio genere distêt, ac de vtrisque prædicatur pariter. Ideò qui per epulum definiunt mox addunt spirituale aut sacramentale, quo fatentur genus non rectè assignari, nisi distinctione mox corrigatur.

Prima hæc ratio petitur ex præceptionibus Dialecticis, quarum iudicium sanũ & infallibile est in his rebus.

Deinde competit ei ratione institutionis, quia habet partes illas tres integrales, quæ Sacramentum constituunt, elementũ scilicet externũ, rem internam per externa adum-

adumbratam, & verbum institutionis. Vt in Baptismo elementum est aqua: res ipsa regeneratio: verbum institutionis, Ite baptizate omnes gentes. Sic in Cœna Domini, panis & vinum externa sunt symbola: Corpus & sanguis Domini, res oblatæ fidei: verbum institutionis, Hoc facite in mei recordationem.

Præterea ratione significationis ei competit: nam sacræ rei habet signa, vnde Sacramentum dicitur, quasi sacræ rei argumentum. Habes in Cœna rem sacram, reconciliationis memoriam cum Deo, quam in hac actione vnicæ Christi morti deferimus. Quòd in ipso habemus reconciliationem per sanguinem eius, remissionem scilicet peccatorum. Coloss. 1. v. 14. Eph. 2. v. 6. vt vtrosque reconciliaret Deo per crucem perempta inimicitia in seipso, &c.

Et 2. Cor. 5. ver. 19. Deus erat in Christo mundum reconciliando sibi, non imputando eis peccata sua.

Hoc mysteriũ quia habet in cœna Domini annexa externi signa gratiæ Dei, rectè dicitur Sacramentum. Sic inquit August. accedat verbum ad elemẽtum, & fiat sacramentum, in Ioan. Tract. 8.

Græci vocant mysterium sacramentum, quia sensum & intellectum habet, à natura

capacitate remotum, sed diuinitus patefactum. Sic in genere vocant mysteria, quæ hominis rationem superant, vt ad Ephes. 1. patefecit nobis Deus, scilicet mysterium voluntatis suæ. Et Rom. 13. Iudæorum πώρωσιν vocat mysterium, & 1. Cor. 15. ver. 51. quòd nõ omnes obdormiemus, sed omnes immutabimur quoque mysterium dicit. Et 1. Tim. 3. ver. 9. præcipit Diaconis, vt mysterium fidei retineant in pura conscientia.

Quibus locis satis constat, doctrinam Euangelij habere patefactionem diuinitus factam. Vnde definiunt, μυστήριον ἐστι θεωρία πνευματικὴ πρὸς τοὺς πολλῶν καλάληψιν διαφεύγουσα, quæ verè locum habent in cœna Domini.

Denique ratione communicantiũ quoque ei aptè tribuitur: nam μυστήρια Græcis solum pertinebant ad μύστας, hoc est, ἁγίους, quos vocamus initiatos. Hinc Diaconus solebat proclamare, Qui non est sanctus non accedat: quod Ethnici dicebãt θύραι δεβέβηλοι: procul este prophani. In Latina Ecclesia iubebantur catechumeni, & energumeni exire, postea dici cœptum, Ite missa est. Admittebantur igitur ad ista mystica solùm pœnitentes seriò, & qui rem, quæ hîc tractatur seriò intelligerent, cuperéntque ex animo Christi esse discipuli.

Reli-

Reliquus totus cœtus ab actione hac discedebat.

Diximus quomodo nomen Sacramenti competat cœnæ Domini, deinceps dicamus etiam, quid veniat in distributionem symbolycam. Hanc voco externam, quæ fit per manus ministrantiũ, cœnam Domini ipsi cœtui communicãtiũ: habétque διανομὴν, vt in Græca diximus definitione, cùm sumentes propriè dicãtur habere κοινωνίαν. Huc pertinet distributio panis ac vini: quæ cùm symbola sint, efficiunt distributionem symbolicam. Veteres addebant aquam, vt esset re, & nomine κρᾶμα: sed nullum satis firmum eius rei potest produci argumentum ex scriptura. Et quòd illi citant aquam & sanguinem ex latere Domini defluxisse, solùm est allegoricum, quod nihil probat. Itaque vera distributio symbolica, pane & vino solùm constat. Vtrunque adhibetur imitatione Legalis cœnæ, in qua eadem fuerunt. Deinde iusta analogia, quam habent cum re significata.

Altera hîc etiam consideranda est distributio, scilicet interna, quæ Christi est propria, nec ministrorum. Nam ipse Dominus suæ cœnæ præest & dispensat sua dona, vt aliàs semper, ita etiam hîc. Hinc 1. Cor. 10. poculũ benedictionis dicitur κοινωνία san-

guinis eius, & panis, quem frangimus dicitur κοινωνία corporis eius, quia sui copiã omnibus offert Christus, hoc est, sua beneficia, adeóque carnam, & sanguinem suum imò seipsum totum cum omnibus beneficiis suis offert fideliũ mẽtibus. Et quemadmodum sensibus externis præsentia sunt symbola externa: sic piorum mentibus præsens sit corpus & sanguis Christi, quæ vera fide, vt meritoria salutis amplectuntur, ideò cibus sunt, sed spiritualis. Et 1. Cor. 10. Apostolus manifestè cibum & potum vocat.

Hęc distributio nõ est carnalis, vt prior, quemadmodum nõ est ministrorum quoque: sed Christi solius. Interim cùm ministerio vtatur Sacramentorum, vt etiã verbi & ministrorũ, symbolica ratione, & sacramentali phrasi: Corpus Domini dicitur symbolum, quemadmodum ipsi ministri dicuntur dispensatores mysteriorum Dei.

1. Cor. 4.

Et sanè Sacramentorum ratio non minor esse debet, quàm verbi prædicati, aut impositionis manuũ, quibus scriptura tribuit salutis causam, non obstante quòd solus Deus nos seruet, & sua nobis conferat charismata, vt 1. Tim. 4. ait Timotheo donum fuisse collatum per impositionẽ manuum: cùm certũ sit impositionem manuũ

per

per se nihil potuisse ei conferre. Sic ad finem eiusdem capitis, ait vt persistat in his, hoc est in sana doctrina: quod si feceris inquit, seruabis te, & eos, qui te audiunt. Atqui solius Dei nos est seruare. Interim quia vtitur ad hanc rem medio prædicationis, dicit ministros nos seruare. Itaque subordinata hæc sunt: Deus nos seruat, vt αἴτιον ἀρχικὸν, sic idem omne donum per se confert: ministri verò nos seruant docendo tanquam organa. Hinc Apostolus non dubitat dicere se Corinthios regenuisse.

Itaque Sacramenta quoque, per se, nullam nobis possunt conferre gratiam. Christus hoc fecit: Interim dicit esse κοινωνίαν corporis & sanguinis Christi, quam nec minister, nec elementum conferre potest. Verataměn manet phrasis sacramentalis, quia sint σφραγῖδες promissionum, vt de Circuncisione loquitur Rom. 4.

Porrò quare signis externis nobis offerat interna beneficia, & collata per Sacramenta confirmet: placet in præsentia Chrysostomi sententia qui dicit, Si tu incorporeus esses, nuda quoque incorporea tibi tradidisset: quia verò anima tua est corpori coniuncta, sensibus intelligibilia tibi traduntur: quasi dicat, Deum nostræ infirmitati consulere: nam externis

Hom. 83. in cap. 26 Matth.

signis magis percellimur, & retinemur in officio.

Sequitur tertium instituti nostri membrum, quibus scilicet hæc distributio fiat. Respondeo, primam illam symbolicam & externam, quæ per ministros administratur, communem esse omnibus communicantibus bonis pariter, & malis.

Altera verò, quæ Christi solius est ad solos pios & Dei filios pertinet. Ratio est, quia Christus cum discipulis suis celebrauit: discipulorum igitur propria est. Sed quemadmodum Iudas eidem interest hyprocrita: sic in actione ista admiscent se reprobi, qui tamen nihil amplius, quàm Iudas hinc reportant. Deinde certũ est, quòd hic panis vitæ sit, ob id, quia vitam nobis donet, quem fructum habet in solis electis: Igitur illi soli participãt rebus ipsis. Et quia qui edit carnem Christi, & bibit sanguinem eius habebit vitam æternam: quo efficitur, solos electos rebus communicare ipsis in cœna.

Ioan. 6. v. 35. 50. 51. 54. 58.

Idem sensit Aug. in Ioan. Qui non manet in Christo, & in quo Christus non manet, non manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem, sed tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi edit & bibit.

Sermo. 26.

De fine etiam breuiter dicamus. In definitione

nitione medios fines expreſſimus reſpectu noſtri. Primus eſt grata beneficiorum eius recordatio, alter, dilectionis profeſſio.

Conſiderandū in primo, quæ ſint Chriſti beneficia, quorum memoria hîc præcipitur. Illa ſunt, Incarnatio filij Dei, mors, reſurrectio, aſcenſio ad cœlos. Hæc vtique in myſterio hoc diligenter explicanda ſunt. Et quanta illa ſint vno verbo, Apoſtolus 1. Timoth. 3. indicat. Sine controuerſia magnum eſt pietatis myſterium, Deus manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus Spiritu, viſus Angelis, prædicatus Gentibus, creditus in mundo, receptus in gloriam. Hæc beneficia nulla ratio ſatis exprimere aut eloqui poteſt, quomodo ſcilicet λόγος Dei æternus, homo factus conſeruata vtraque natura in vna perſona, diſſidentes naturas copularit, vt Deus homo eſſet: quam rem etiam Angeli ſtupent. Quomodo enim pura hoſtia pro hominibus, ex hominibus eſſet producenda nondū nouerant: viderunt autem in filio Dei Chriſto, vnde per admirationem dicit, viſum Angelis. Et Chryſoſt. Hom. 27. in cap. 8. Mat. ait diuinæ prouidētiæ beneficia hîc latere. Explicanda igitur hoc loco diligenter eſt magnitudo beneficiorum Chriſti auditoribus, vt ſciant, quid Chriſtus pro ipſis fece-

rit, & quid ipsi vicissim eidem debeant.

Pro his beneficiis animus excitandus est ad gratiarum actionem in cœna. Vnde nomen habet εὐχαριστίας. Et 1. Cor. 10. dicitur calix εὐλογίας. Ad memoriam igitur recte instituta est. Et in veteri cœna quoque Dominus illam fieri iubet *lezicaron*, vt est Exod. 12. Deut. 6. & in noua Cœna, Luc. 22. idem exprimit 1. Cor. 11. bis dicitur εἰς ἀνάμνησιν.

Has preces quia ecclesia offert Deo, etiam dicta est cœna προσφορὰ, vt alibi etiam diximus, quod Latini oblationem dixerunt. Quærunt igitur adhuc hodie aliqui, an sit oblatio, & quid offeratur. Respondeo distinguendum esse. Si enim oblationem precum intelligamus, quas Deo ipso sic iubente, ad laudem ipsius offerimus, rectè dicitur oblatio, & sacrificium labiorum. Item si eleemosynas respiciamus, quas in pauperum vsum in hac actione, solet Ecclesia conferre, meritò dicetur oblatio. Item si pro sacrificio, memoriam semel oblati sacrificij accipamus, hoc est, mortem ipsam Christi, quam firmiter, & verè credimus communicando, nihil impedit, & oblationem, & sacrificium dici.

Verùm si vt hodie loquuntur de hac re sacrificium accipias pro defunctorum peccatis

catis expiatorium negabimus Cœnam esse sacrificium. Ratio est, quia de hoc vsu Cœnæ Domini nullum testimonium scripturę firmum habemus. Item cùm dicunt ex opere operato prodesse hanc oblationem, id quoque pernegamus: quia hæc actio hoc modo non placet Deo, & pij reconciliationis cum Deo beneficiũ deferunt vni Christi sacrificio, quod fide amplectentes iusti efficimur. Memoria igitur hîc celebratur sacrificij: quod ex Chrysost. probamus, qui scribit in cap. 10. ad Hebr. Offerimus quidem: sed recordationem facientes mortis eius. Et mox, hoc autem, quod facimus, ad commemorationem fit eius, quod factum est: Item, magis recordationem sacrificij operamur.

Sed ad alterum finem properemus, qui professio dilectionis. Probamus id ex 1. Cor. 10. Vnus panis, vnum corpus multi sumus. Hinc Chrysostomus vocauit pacis sacramentum,

His cogitationibus præparemus & excitemus animos nostros ad horum mysteriorum recordationem. Deinde ad mores applicemus, vt hoc ipsum quod hîc profitemur, re ipsa præstemus. Turpè enim est & nocens, agni cælestis carnibus communicare, & lupinos animos, vulpinos mores

retinere, ouem ſimulare,& leones ferocia imitari. Dominus Deus & Parer D.N.I.C. det vt de his, & verbis & moribus ſeriò philoſophemur. Amen.

EXPLICATIO DEFINITIONIS De Cœna Domini ex catechiſmo, qua dicitur.

COENA Domini eſt fidelium congregatio, in qua diſpẽſatione & ſumptione ſacrorum ſymbolorum panis & vini, iuxta ordinationem Chriſti teſtamus uos cõmunionem habere corporis & ſanguinis Chriſti per eius mortẽ, ideóque ei nos gratias agere debemus, nóſque mutua obligamus fide,& fraterna dilectione.

Exordij. πρότασις.

De tota quidem pietatis ſumma, ſcienter conſtituendum eſt,& religioſè loquẽdum. Imprimis verò quoties in ſacramentorum doctrina verſamur. Sunt enim illa ſuprema manus,& colophon rei Chriſtianæ, adeóq; φρίγκος, ſepimentum totius Religionis. Et quemadmodum in diplomatibus, voluntas morientis vim habet ex conſignatione,

Αἴτιον.

μεῖον.

nec

nec aliter valet, nisi obsignata sit: sic Religio Christiana vim ex Sacramentis habet, hoc est, quatenus symbolis sacramentalibus per Christum est consignata. Ideò ad Rom. Apostolus, circuncisionem σφραγίδα vocauit: quo fœdus consignatũ fuerat. Nos Baptismum & cœnam Domini rectè σφραγίδας appellabimus, quãdo tota Christi doctrina ad ea reducta est & consignata. Itaque discant in his adolescentes & scienter constituere, & religiosè loqui: quorum illud excludet dubitationem, & opinionem nudam ὑπόληψιν, quibus efficitur, vt sententiæ sæpe varient in re eadem: posterius verò facit contra καινοφωνίαν, qua inducuntur nouæ loquendi phrases. Contrà piis mens sacramentorum ex scripturis solidè haurienda est, & phrasibus scripturæ, quoad fieri potest, insistendum.

Ad hos fines accommodata semper fuit docẽdi ratio in Ecclesia, quæ in genere duplex fuit, & adhuc est: prior κατηχιστικὴ posterior ὁμιλιτικὴ. Illa in scholis Ecclesiasticis dominabatur: hæc verò in cœtibus maioribus totius Ecclesiæ. Κατήχησις erat doctrina de primis elementis pietatis, hinc κατηχούμενοι erant dicti eius doctrinę auditores: quales tum erant omnes antequam susciperent Baptismum, conuersi ad Chri-

Πρόσληψις διεξοδική.

ſtum. Et Catechiſtæ doctores rudimentorum fidei, qui viua voce videntur tria ex Nouo Teſtamento tradidiſſe, Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, & vſum ſacramentorum: quæ cùm eſſent dogmatica, ex veteri Teſtamento addebant Decalogum ad formandos mores fidelium ſecundum doctrinam Chriſti. Et quia tales Catechiſtę, vt plurimùm omnes priùs fuerant philoſophi, certum eſt, definiendo præcipua capita explicuiſſe, ambigua diſtinxiſſe, certáque ratione ac methodo omnia tradidiſſe. Sed quia viua voce ſaltem tradebantur talia capita, ideò ad nos non peruenerũt. Illis catechiſtis indubiè debemus ſymbolum Apoſtolicũ, quod ex vniuerſa doctrina Apoſtolica, in hunc ordinem breuiter & compẽdiosè digeſſerunt.

Tales Catechiſtæ, hoc eſt, doctores in ſcholis Eccleſiaſticis fuerunt Pantenus Ioannis Apoſtoli auditor: poſt quem Clemens Alexandrinus Eccleſiaſticam tenuit vt loquitur Hieronymus. Ὁ τῆς κατηχήσεως διδάσκαλος γέγονε.

Clementem audiuit Origenes ille Adamant. factus & ipſe catechiſta, cuius ſchola cùm frequentior eſſet Heraclem aſſumpſit in muneris collegam, vt refert Euſeb. lib. 6 cap. 12. &c. Ipſe Hieronymus ſuos catechiſtas

ſtas nominat alibi Dydimum, & Gregorium Nazianzenum,&c.

Quæ cùm mecum expenderem his diebus,viſum eſt eodem docendi genere vobis negotium Cœnæ Domini explicare. Ἐπανοδος.

Proponam igitur vobis tanquam catechiſta inter catechumenos ex catecheſi doctrinam verã de Cœna Domini: quemadmodum eam definitione expreſſit catechiſmus noſter,cuius verba ſunt. Πρόθεσις.

COENA DOMINI EST fidelium congregatio,in qua, diſpenſatione, & ſumptione. &c.

Τὸ δὲ τί.

AC quòd definitionem attinet,ſatis illuſtris eſt : propriis enim verbis, & ſignificantibus exprimit mentẽ Cœnæ,ideóq; retinet propriam virtutem definitionum,quæ eſt σαφήνεια. Sumpta verò eſt ex cumulo cauſarum:non obſcurè enim indicat authorem, modum,materiam,& finẽ cœnę. Author Virtus definitionis.

enim Christus est: modus nos ligat ad ordinationem Christi instituentis: materia est panis & vinum. Sed accedit præstantior quoque materia communio corporis & sanguinis Christi. Finis est, gratiarum actio, professio fidei & mutuæ dilectionis. Hæc in genere exprimit definitio, quæ in collocādo accommodauit ad ipsam actionem, in qua requiritur primùm cœtus celebrantium. In eo mox est actio dando & accipiendo constans: Inde exprimitur materiale quid detur & accipiatur: hinc modus qui sit seruandus: denique fines.

Collatio definitionis.

Et quia definitio ex causis congesta est, manifestum est illum habere vim demonstrationis, cùm omnis definitio, vel sit demonstratio, vel eiusdem vim habeat.

Cuus definitionis, quale sit.

Demonstratio est, quæ τὸ τί ἐστι proximè explicat: vim autem demonstrationis habet, οἵᾳ ἀπόδειξις, θέσει διαφέρων, vt loquitur Arist. quæ τὸ διότι, exponit, qualis nostra præsens est. magis τὸ διὰ τί, quàm τὸ τί ἐστι exponens, Si enim quæras, Cur talis actio à piis seruatur? Commodè respondebitur huic, Quia Christus ordinauit, vt talibus symbolis distributis & sumptis, testaremur communionem corporis & sanguinis eius.

Quòd

Quòd si primi generis definitionem po-
[illegible] quæ τὸ τί ἐστι exponat, non absurda
fu[illegible]lla ex Luc. deprompta paucis immu-
tat[illegible] cœna Domini est κοινωνία ἄρτου καὶ πο-
τηρίου εὐλογιάς, σωματός τε καὶ αἵματος ἰησοῦ χρι-
στοῦ κατὰ τὴν αὐτοῦ παράδοσιν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

2. definitio τὸ τί ἐστι explicans.

Hæc in genere de definitione proposita, nunc membra illius præcipua expẽdamus.

Partes principales hîc quatuor persequemur: qualis sit fidelium congregatio: deinde quis modus obseruetur: tertiò quarum rerum sit κοινονία: denique qui finis.

Congregatio fidelium dicitur propter cœtum in quo peragitur. Is propriè σύναξις dicitur, hoc est, coacta multitudo. Inde translata vox est ad ipsam cœnam, quæ & ipsa passim à Græcis synaxis dicitur. Iustinus philosophus Christianus, cœtum vocat συνέλευσιν, ex quo etiam præcommodè intelligitur, qualis illi cœtus fuerint. Eius verba sunt: Postquam lotus est, & ascriptus fidelis, ducimus eum ad fratres, vbi congregati sunt, preces pro illo & omnibus habituri. Post preces, profertur panis & poculum aquæ & κράματος τῷ προεστῶτι, &c.

Itaque in cœtibus profitentium Christum peragebatur, hoc est, qui iam baptizati erant, & ascripti in numerũ fidelium: nam ante Baptismum erant catechumeni,

nec admittebantur ad actionem cœnæ.

Ex quo & illud efficitur, cœnam Domini non oportere esse priuatam: nam id repugnat non solùm institutioni Christi: sed ipsius quoque nomini. Cur enim σωξαξις dicetur, nisi in cœtu celebrari debeat?

Cœtus hos colligebant diebus Solis veteri consuetudine, vt ex eodem colligi potest, τῇ τῦ ἡλίυ λεγομένῃ ἡμέρᾳ, πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγρὸς μενόντων, ὅπη τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, & τὰ ὑπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ, εἶτα παυσαμένυ τῦ ἀναγινώσκοντος ὁ προεστὼς, &c.

Cur verò diem solis, præcipuè his cœtibus dedicarint, duplicem affert rationem. Primùm, quód in hac separauit Deus lucem à tenebris: deinde quæ propria est Christianorum, quòd in hac Dominus Christus glorioſè resurrexerit, cuius memoriam in cœna præcipuè celebramus.

Cœtus isti fidelium dicebantur: cui non obstat, quòd mixti essent fideles, & hypocritæ. Nam qui fidem profitebantur, & Baptismum admittebant omnes fidelium titulo censebantur. Quod idem eleganter describit: nam de Eucharistia loquens, inquit, ὡς οὐδενὶ ἄλλῳ μετάσχειν ἐξὸν ὅτι μὴ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ διδασκόμενα ὑφ' ἡμῶν, & λεγα-

λαμβάνω τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, & εἰς ἀναγέννησιν λυτρὸν & ὄντως βιῶντι ὡς ὁ χειρὸς παρέδωκεν, &c. In quibus verbis, obseruandum est tria requiri in his, qui in fidelium censu haberi volũt: primò vt sint πιστεύοντες, hoc est, externam professionem Christiani nominis habeant: deinde vt sint baptizati, nam catechumeni non admittebantur ad cœnam, nec dum acceperant Baptismum: tertiò vt promittant vitam Christo dignam.

Modus actionis expressus est dispensatione & sumptione iuxta ordinationem Christi, quæ Græcis est διάδοσις καὶ μετάληψις: nam Christus accepit & dedit discipulis: iussit eos id facere, hoc est, ad suã ordinationẽ faciendo & celebrando respicere.

Distributio hodie fit à ministris, olim Diaconi hoc obibant munus, de quo sunt Iustini verba οἱ λεγόμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου & οἴνου, & ὕδατος, καὶ ἀποφέρουσι.

Ex quibus primùm obseruandum distributionem per Diaconos factam, qui panem è manibus τοῦ προεστῶτος accipiebãt, inde aliis distribuentes.

Deinde panem dici εὐχαριστηθέντα, consecratum, vel benedictum, propter preces

τὸ προεστῶτος qui post preces communes solus ipse orabat, Deóq; commendabat populi oblationem. Tamen verbum εὐχαριστεῖν & εὐλογεῖν ad Deum referebatur semper, non ad panem: tamen posteritas hinc sumpsit consecrationem.

Præterea inquit, absentibus quoque missam fuisse, quod primitus accipi debet de oblationibus panis, vini pecuniæ, aliarúmque rerum: nam diuites conferebant ad alendos pauperes. Qui igitur ex pauperum numero, morbis, aliísque causis impediti, præsentes esse non poterant, ad hos Ecclesia mittebat eleemosynam.

Deinde de pane & vino consecrationis cœperunt quoque mittere, vt est apud Dionysium illum Areopag. & similes alios scriptores, de quo alibi copiosiùs dicetur.

Sequisur κοινονία in posita nobis definitione, quæ significat rei communis vsum communem. Est enim κοινωνία lucri & damni participatio. Itaque primùm participatio communis est symbolorum panis & vini: quæ quia est etiam impiis & hypocritis communis dicitur communia communissima, κοινωνία κοινωτάτη. Illa est terrenarum rerum, vt ait Irenæus. Altera est κοινωνία corporis & sanguinis Christi 1. Cor. 10. poculũ benedictionis nónne

nónne κοινωνία est sanguis Christi. Panis quem frangimus, nóne est κοινωνία corporis Christi? Itaque vera hîc statuatur communio, sine tamen μετουσιάσει. Et quemadmodum in prima communione, verbum edendi, & bibēdi propria significatione accipiendum fuit: sensus enim percipiunt vinum & panem: ita in hac secunda communione, significatior est in his verbis metaphora, quàm propria significatio. Hoc igitur sensu edimus, & bibimus verè per fidem, eámque minimè fictam, sed efficacem, quæ nubes penetrat, & Christū absentem corpore reddit nobis præsentem.

Vulgò dici solet, Regibus longas esse manus: nos in hac causa iustissimè dicimus fidei longiores esse: nam suas manus è terra in cœlos vsque extendit, Christúmque apprehendit exclamans, Deus & Seruator meus.

Hæc κοινωνία piorum propria est, nec habent impij in hac aliquid iuris. Nam soli hi in cœlos subuolant animis suis, quod vetus Ecclesia dixit, Sursum corda. Deinde in his solis est organum apprehendens Christū, scilicet fides illa viuida, quæ est habitus actuosus, diuinitus inspiratus, per quem Christo incorporamur. Quæ omnia cùm in solos pios cadant, consequens est, hos

solos corporis & sanguinis Christi in cœna esse participes.

Adde his, hos solos vim fidei percipere, solósque Christo incorporari, & sentire, quid sit Christum sumere, quid sit illius bibere sanguinem, quod totum ignorant pij & hypocritæ. Ideóque impiorum respectu rectè dici potest, illos etiam sensibus percipere Christum: sed sunt illi sensus fidei.

Breuiter perstringamus fines eósque solos, quos hîc habemus expressos: quò pertinet primum gratiarum actio: nam vt Deo gratos, & obsequentes testemur coram Ecclesia, Cœnæ huic nos adiungimus. Hinc dicta Eucharistia, quia grati animi sit hæc actio, Deóque palàm voce gratiæ aguntur pro immensa sua clementia.

Deinde adest etiam fidei professio, non solùm qua Christianis connumeramur & externæ Ecclesiæ ascribimur: sed potiùs, qua testamur nos Christo seriò fidem datam conseruare pro Christo quiduis passuros: deinde moribus ac vita hanc professionem nos exornaturos quàm studiosissimè.

Tertiò ad fines pertinet quoque dilectionis mutuæ professio: vnionem enim & consensum hîc in primis profitemur, quod

Apo-

Apostolus 1. Corinth. 10. videns argumentatur ab vnione symbolorum, Vnus panis, vnum corpus multi sumus: ratio eius est, quia omnes ex vno pane participamus.

FINIS.